

2.

Zwei Schriften des Erzbischofs Hinkmar von Reims.

Herausgegeben
von

Wilhelm Gundlach.

II¹.

Wenn ich oben S. 92 die in der Leydener Handschrift Nr. 141, S. 57—119 stehende Abhandlung Hinkmar's als erste Streitschrift wider Gottschalk über die Prädestination bezeichnet habe, so befindet sich mich im Gegensatz zu der herkömmlichen, auch von Schrörs vertretenen Auffassung. Danach zählte man nur zwei Streitschriften: die noch heute vorhandene aus den Jahren 859/60 wurde als zweite aufgeführt (Schrörs, Hinkmar, Erzbischof von Reims, S. 142—148) und die verlorene Schrift aus den Jahren 856/7 als die erste (Schrörs S. 136. 137), obwohl man Kunde davon hatte, dass schon vorher „Hinkmar ein Schriftchen ad reclusos et simplices seiner Diözese veröffentlichte“, welches gleichfalls gegen Gottschalk gerichtet war (Schrörs S. 108. 115). Dass diese Schrift, welche etwa den Jahren 849/50 angehört, als vollwertige Streitschrift anzuerkennen ist, dass sie also als die erste, die bisher erste bzw. zweite aber als zweite bzw. dritte zu nennen ist, dafür mag sie hier selber mit ihrem Inhalt einstehen:

Hincmarus, sanctae metropolis eccliae Remorum episcopus et omnium servorum Domini exiguus famulus, dilectis filiis simplicibus huius sancte sedis, cui auctore Deo deservio sub cura pontificatus beati Remigii, summi et gloriosi archiepiscopi, salutem.

Beatus Petrus, summus pastor ovilis dominici, dicit: *Quia adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, querens quem devoret², scilicet de unitate eccliae cupiens erroneum quemlibet reddere, ut eum valeat facilius rapere et perditioni sue nequitiae sotiare; et quoniam^a sua occulta persuasione non*

^{a)} quem c.

1) S. oben S. 92 ff.

2) 1 Petr. 5, 8.

potest decipere et in sua se natura humanis visibus non audet ostendere, quia scit, quoniam omnes eum debuissemus refugere, pertimescere et abominari et cum virtute signali crucis et invocationis Christi repellere, transfigurat se in angelum lucis et querit organa et vasa sua, per maligna opera et voluntate propria sibi subdita ac nobis per naturam cognata, unde ipse loquens atque suadens et exempla perditionis propinans nos valeat perdere. Sic enim primum, quando conditus est homo et in paradysi amoenitate positus, coniuge sibi in adiutorio data, unde genus humanum felici procreatione propagaretur, egit et ex tunc usque nunc et usque in finem saeculi sic agere satagit. Vedit enim et invidit, videt et invidet, quia illuc ascensurus est homo de terra factus per humilitatem, unde ipse cecidit per superbiam: et sicut tunc quaequivit vas sibi condignum, serpentem videlicet, unde molliorem et simpliciorem Eram deciperet, et sic per gradus usque ad Adam primum pervenit illumque^a temptavit et superavit, sic cotidie in unoquoquo homine^b agit. [Temp]tat^c illum suggestione in corde; qui si suggestionem recipit, temptat delectatione^d in carne; illa non repulsa, temptat et superat ligatum per delectationem consensione in mente, et iam vinculis peccatorum inretitum devincit defensionis audacia^e in presumptione. Similiter autem agit in actione, quia prius decipit nos in occulta peccati operatione, deinde in perpetratione facinoris publica sine confusione, deinde in absque rubore peccandi consuetudine: post haec, quia non desunt, qui male acta propter placitudinem favoribus efferant, aut misera securitate aut letali^f percellit desperatione. Sic in moribus, sic in actibus, sic in perversa doctrina et in actoribus suis, scilicet per quos ad aliorum deceptionem mala agit, et in obauditoribus suis, qui ei et in occultis suggestionibus et in moribus et in actibus pravis oboediunt, et per pravas doctrinas pseudochristi praedicatoribus et suis veris obsecutoribus agere non omittit. Unde secundum sacras litteras divinitus inspiratas multi iam surrexerunt et surgunt atque resurrecti sunt pseudochristi et pseudoprophe¹, quia non sunt de numero

^{a)} Spatium relictum, sed nihil deesse videtur. Paginarum oppositarum laeva plerumque caret una vel duabus syllabis primam lineam finientibus, dextera una vel duabus syllabis primam lineam incipientibus: raro de secunda linea res ita se habet.

^{b)} littera h interposita est.

^{c)} quae fibulis angulatis inclusa sunt, in codice desunt.

^{d)} delactatione c.

^{e)} audaua c.

^{f)} letiali c.

eorum, quibus dicit Dominus: *Loquimini ad cor Hierusalem*¹, et per se ipsum in presentia carnis apparens: *Ite, ecce ego mitto vos*²; sed de his, de quibus scriptum est: Ipsi ibant, et ego non mittebam eos dicentes: haec dicit Dominus, cum Deus non sit locutus; et pastor ecclesiae: *Fuerunt pseudopropheṭe in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui inducent sectas per[ditionis]*, qui^a emit eos, dominum negantes, superducentes sibi celerem perditionem; et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat³; et beatus Iohannes: *Et nunc quidem antichristi multi sunt*⁴; et sanctus Iudas apostolus: *Subintroierunt enim quidam homines, qui olim prescripti sunt in hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et dominum nostrum Iesum Christum negantes*⁵, qui, secundum quod beatus Paulus dicit: *se confitentur nosse Deum, factis autem negant*⁶ et novitates vocum⁷ semper exquirunt, prurientes auribus⁸, errantes et in errorem inducentes⁹, qui, quoniam discipuli veritatis esse noluerunt, magistri erroris fiunt: et hi^b quidem, secundum Iudam apostolum, *carnem maculant, dominationem autem spernunt, magestatem*^c autem *blasphemant*¹⁰, nescientes, secundum apostolicam scripturam, neque quae locuntur neque^d de quibus *adfirmant*¹¹, adulterantes verbum Dei¹² et docentes non sincere, sed *turpis lucri gratia*¹³, qui catillando circumeunt patrias, *non Domino servientes, sed suo ventri*¹⁴.

Et de talibus surrexit quidam in diocesi nostra vobis notus et nomine et facie et conversatione, Gotescalcus, nobis autem

^{a)} in fine aliquid erasum.

^{b)} i. c.

^{c)} magestatem c.

^{d)} littera n ex d incepta facta est.

1) Jes. 40, 2.

2) Luk. 10, 3.

3) 2 Petr. 2, 1—3.

4) 1 Joh. 2, 18.

5) Jud. 4.

6) Tit. 1, 16.

7) 1 Tim. 6, 20.

8) 2 Tim. 4, 3.

9) 2 Tim. 3, 13.

10) Jud. 8.

11) 1 Tim. 1, 7.

12) 2Kor. 2, 17.

13) Tit. 1, 11.

14) Rom. 16, 18.

iam olim fama putida miserae conversationis et abominatione perverse pre^{dict}ationis et nunc tandem facie et sermone pertinacissime obstinationis^a cognitus, qui, ut audivi, antequam ex ista parrochia contra leges ecclesiasticas excommunicatus pergeret male vivens, habitu et sermone, ut videbatur, religioso se quasi honestum auribus et aspectibus vestris commendans, pravitatem sui cordis [zelo] pallians^b, venena pessima auditibus simul et cordibus^c vestris infudit^d: confundens prescientiam et pre^{dict}inationem Dei, docens predestinatos ad poenam, quam nullus predestinatus, quicquid libet vel quantum libet boni agat, potest evadere, et nullus predestinatus ad gloriam^e, quicquid agat mali, potest decidere^f; qui, [si] sciret^g et voluisse inter prescientiam et pre^{dict}inationem secundum sacras scripturas et catholicorum patrum doctrinas discernere, non debuisse errare. / Isdem etiam sic dogmatizat sine libero arbitrio gratiam, ut sub nomine pie- tatis predicit paenitius neglegentiam, et per bonorum operum exhibitionem placandi Deo ac placandi Deum tollat sollicitudinem, et pernitosam superducat securitatem. Docet etiam, quod passio Christi non pro totius mundi salute fuerit celebrata et per baptismi gratiam peccatum originale non predestinatis non sit ab- tatum, quia nec de massa peccati et perditionis sint segregati; docetque duos populos: unum predestinatum ad poenam, alterum ad gloriam; et ideo, quicquid Dominus per se et per prophetas et per apostolos loquitur, ut per fidem rectam et opera bona gratia Dei et libero arbitrio quis salvari possit, ad pre^{dict}atum^h populum pertineat et nihil non predestinatis conveniat.

Qua de re omisi colligere ex auctenticiis scripturis Novi ac Veteris Testamenti exempla plurima, quia eaⁱ semper ad pre^{dict}atum populum contenderet solum pertinentia, qui hortatur ad paenitentiam, et excipere sententias censui auc[torum] revincen- tium, que et illum suggilarent et vobis suff[icerent].

De quibus perversitatibus scilicet suis et scripta illius suscep*i*: unum quidem thomum a confratribus nostris oblatum, quem ad quendam Gislemarum, Corbeie monasterii monachum, scripsit, quasi sub obtenu orationis et gratiarum actione dictans, ubi pro laude maximas dixit blasphemias; quemque, epistolari

a) obtinationis c.

b) cod.: palliani, corr. ex pallianus.

c) cordi c.

d) ita corr.; initio infundit.

e) gloria c.

f) cider in loco raso positum est.

g) t superposita est.

h) n ex u corr.

i) eea c.

prosecutus pertinentia^a, quare talia dixerit, falso de scripturis compilare curavit. Alterum autem, quem contra Rhabanum venerabilem archiepiscopum, etiam evosum in sancta religione patrem et catholicum scriptorem, ut videlicet ab ortodoxo et magno doctore domno Alchuino in sancte ecclesiæ utilitatibus uberibus ipsius catholico lacte nutritum, de doctrine prato sanctorum auctorum floribus collectum et confertum, quos flores catholice a catholicis dictos aut mutilavit^b aut corrupit. Tertium quoque thomulum quantitate parvum, sed impietate maximum ab illo ipso mihi oblatum suscepi.

Quorum exemplaria si, catholice matris filii, in manus vestras pervenerint, reicite, repellite^c, conspuite et ab oculis et sensu, auribus quoque et manibus vestris, immo et ab habitatione vestra, non modo a presentia et cohesione vestra propellite et, ut petivos sermone commoneam, fugite, o pueri, religiosa simplicitate: latet hic^d anguis in herba^e¹. Sed et cum apostolo admonebo: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote*²; non enim vos isto^f simplici sermone super hoc negotio etiam scripto monerem, nisi, ut cum pace vestra dicam, sicut et dicit apostolus, quia scio, vos *habere zelum, sed non secundum scientiam*³ et ideo talem quidem, [sed si]ne discretione — cum apostolus dicat: *Probate spiritus, si ex Deo sint*^g⁴ — [ita] ut etiam loca vestra — quidam — ad eius suggestionem vel imperium desereretis^h; cum unumquemque vestrum sicut et unumquemque nostrum moneat scriptura: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*⁵, id est: si in aliquo temptationem inmundi spiritus — aut per illum ipsum, aut per organum illius — contra te senseris prevalere, ne dimittas locum paenitentie, quia locus tuus locus est humilitatis. Et quando aliquis vestrum locum reclusum et ab aliis hominibus segregatum expetiit, quid aliud quam locum paenitentiae appetiit? ubi per-

^{a)} in fine s erasa est.

^{b)} aut in margine scripta aut ipsis verbis superscripta scholia aliquando leguntur; hic v. g. mutilavit id est imminuit vel detrectavit.

^{c)} repellitite c.

^{d)} post hic interpositum in.

^{e)} ervo c.

^{f)} istos c.

^{g)} sunt c.

^{h)} deseeritis c.

1) Vergili Buc. III, 93.

2) 1 Kor. 14, 20.

3) Rom. 10, 2.

4) 1 Joh. 4, 1.

5) Ecclesiastes X, 4.

manere, non retro respicere, nec altiora te querere¹, quisque es, debes, quia *nemo mittens manum in aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei*². Et terribile est valde, quod, secundum Hieremiam prophetam³, octoginta viri, qui portabant munera in manibus ad offerendum in templum Domino, in medio civitatis interficti sunt ab eo, qui typum gessit diaboli, exceptis decem, qui habuerunt thesaurum in terra hordei et mellis, quibus thesaurus poenitentiae designatur. Et sic qui vestrum locum penitentiae^a expetere debuerunt^b, altiora se querentes, cum se ipsos docere non poterant, gentium apostolos^c se futuros iactarunt; et ad tantam sunt corruptionem devoluti, ut, minores se ipsis facti, nisi per poenitentiam redeat ruina diaboli intercepti, etiam a ianuis ecclesie, presentis scilicet et future, merito debeant et possint arceri et, qui se iactabant fieri eruditores^d insipientium⁴, [panem] potentibus frangere, lacte, non solido cibo opus habeant⁵.

Perve[nit] etiam ad exiguitatem nostram, quia idem frater — et complices sui — de videndo Deum multa et subtilia quasi rimans perscrutaretur et aliter, quam debuerit, docere presumpsert, magis curans, qualiter debuisset Deum videre, quam ut mereretur illum videre. Sic fatui, filii Israhel nomine, non merito, non cognoscentes verum, sed in desideriis et appetitu laudis humanæ aestuantes, surda aure pertransirent, quod scriptum est: *Sentite de Domino in bonitate et in simplicitate cordis, querite illum*⁶; et non curant mundare corda et corpora sua, ut efficiantur vasa spiritus sancti, quatinus eis Dominus sua arachana dignaretur revelare et per eos, que vera sunt, aliis intimare^e, cum legerint et neglexerint: *In malivolam animam non intrabit sapientia*⁷, et: *Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus, que sunt sine intellectu*⁸ et *non habitabit in corpore subdito peccatis*⁹. Et videtur nobis eis^f coaptari posse, quod in-

a) q̄ ita scripta est, ut videatur oe esse legenda.

b) expetierunt c.

c) apostoli c.

d) i ex u corr.

e) intimare c.

f) eius c.

1) Ecclesiasticus III, 22.

2) Luk. 9, 62.

3) Jer. 41, 5—8.

4) Rom. 2, 20.

5) Hebr. 5, 12.

6) Sap. 1, 1.

7) Sap. 1, 4.

8) Sap. 1, 5.

9) Sap. 1, 4.

felix adulescens dixerat constrictus, qui templum magnę Dianaę incenderat Ephesi; requisitus namque, cur tantum facinus perpetraverit, respondit ^a: Quia bonis innotesci non poteram, saltem vel malis innotescere.

His ita pr̄missis ^b, filii simplices communis matris nostre, sanctę Remensis ecclesiae, ne pro devotione minus cauta circumferamini omni vento doctrine, ea, quae de suprascriptis catholice tenere debetis, ex agro pleno ^c sanctae scripture, cui benedixit Dominus, et hortodoxorum patrum explanationibus capitulatim nobis pro loci et officii meę indignitati ^d commissi qualitate colligere studui, ne aut dubitatione hesitetis, aut insipientia deliretis, aut perversorum infidelitate depravati in va[num cur]ratis; quia bonorum omnium fundamentum fides vera est, sicut scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo* ¹, et: *Iustus autem meus ex fide vivit* ², illa videlicet, quę per dilectionem operatur ³. Nam doctis et eruditis ista collectio necessaria non habetur et huiusmodi vulgaris locutio indigna videbitur, qui et in sensu suo, gratias Deo, abundant et sanctas scripturas atque sanctorum patrum catholicas expositiones notas habent. Vos autem, cum quibus divina sapientia pro sancta simplicitate vestra loquitur, sicut scriptum est: *Cum simplicibus sermocinatio eius* ⁴, teneatis ^e, quoniam librorum copiam non habetis et istas oratorias tergiversationes non didicistis neque legistis. Unde — si beatus Paulus, ut magnus orator, in suis epistolis questiones proponit et nobis solvit et beatus Augustinus ac ceteri doctores contra hereticos pugnantes dialectice sunt locuti: que minus intellegentes quando percontando, quando intentando, quando solvendo locuti sunt, depravant benedicta ad suam ipsorum perditionem — sicut beatus Petrus apostolus de epistolis sancti Pauli loquens dicit: *Tenete istam capitularem brevem et catholicam collectionem.* Unde ex multorum patrum dictis multa colligi poterant; sed quia id ipsum omnes secundum apostolum sentiunt et dicunt: que breviter vobis ex paucorum nomine — quedam sensu, quedam verbis ab eisdem expressis — collecta sunt, pro sufficientibus habetote.

^{a)} ut, quod codex exhibet, omisi.

^{b)} premisis c.

^{c)} plena c.

^{d)} indignati c.

^{e)} tamen c.

1) Hebr. 11, 6.

2) Hebr. 10, 38.

3) Gal. 5, 6.

4) Prov. 3, 32.

Beatus Gregorius dicit: *Deus simul cuncta condidit, que Moyses, sex^a dierum mutatione variante, distincta creata [describit]. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species^b for[mata] non est; et quod simul extitit per substantiam materie, non simul apparuit per spiciem forme.* Cum enim simul factum caelum terraque describitur, simul^c spiritualia atque corporalia, simul, quicquid de caelo oritur, simul factum, quicquid^d de terra producitur, indicatur¹. Et alibi dicit: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, quia creatura omnis ab auctore, qui in actione sua nequaquam^e temporis protelatione distenditur^f, simul condita non dubitatur.* Unde simul factum angelum hominemque cognoscimus, simul videlicet non in unitate temporis, sed cognitione rationis, simul per acceptam imaginem sapientiae, et non simul per coniunctam substantiam forme. Scriptum namque de homine est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram², et per Ezechiel ad Satan dicitur: Tu signaculum similitudinis plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradysi Dei fuisti³;* in cuncta igitur creatura homo et angelus simul conditus extitit, quia ab omni natura inrationabili distinctus processit⁴. Unde et principium viarum Dei, diabolus, dicitur in angelica natura bonus creatus, quia nimis, cum cuncta Deus creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit; qui et idecirco per liberum arbitrium peccans sine venia dampnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Qui etsi potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen nature rationalis minime amisit⁵ et immortalitatem per essentiam nullatenus perdidit. Cui cum angelis suis de summo [cul]mine propter superbiam in caliginem istius aeris precipitato [prae]paravit iustus et verus iudex ignem aeternum, sicuti propter persistentiam⁶ in humilitate et amore suo misericors et iustus conditor eorum, qui delegerunt magis per humilitatem illi ad-

^{a)} ex c.^{b)} specie c.^{c)} hic interpositum est de.^{d)} c superscripta.^{e)} nequam c.^{f)} discenditur c.^{g)} persistantiam c.

1) Sancti Gregorii Moralium l. XXXII. in caput XL. beati Iob col. 16 (ed. Maur.) vol. I, p. 1055.

2) Gen. 1, 26.

3) Ezech. 28, 12. 13.

4) Gregorii Opp. I, 1056.

5) Gregorii Opp. I, 1056.

herere^a, quam diabolum sequi per libertatem arbitrii, soliditatem: ut iam cadere nec possint nec velint, sed in aeterna beatitudine secum felices permaneant. Et ad reparandum damnum, quod diabolus caelo intulit, fecit Deus, ut dictum est, hominem ad imaginem et similitudinem suam, plasmans eum de terre pulvere et donans ei libertatem arbitrii, sicuti et angelicę fecerat creaturae, ut illuc ascenderet homo per humilitatem de terra factus, unde ceciderat, sicut prediximus, per superbiam proprię nequitię angelicus spiritus; quem hominem ad imaginem et similitudinem^b suam conditum ideo Dominus in paradyso posuit, ut, si se ad^c conditoris^d sui oboedientiam vinculis caritatis adstringeret, ad caelestem angelorum beatorum patriam quandoque^e sine carnis morte transiret. Sic namque inmortalis est conditus, ut tamen, si peccaret, et mori posset; et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam mori non posset atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare vel mori non posset, sicut nunc persistentes beati angeli per arbitrii libertatem nec peccare nec cadere volunt aut possunt, et sicut sanctis^f animabus datur, [quae] corporibus sunt exute, et sicut sanctis omnibus dabitur in remuneracione resurrectionis ultimeq, cum sederit filius hominis in sede maiestatis sua. Cuius regionis semper manentis beatitudinem ei conditor et opifex suis ab ipsa constitutione mundi praeparavit, sicut beatus Iohannes Crisostomus ex evangelica docet lectione in libro de reparatione^g lapsi dicens: *Propterea, inquit, creavit nos Deus et esse fecit, qui non eramus, ut eterna in nos conferat bona et prestet regna caelorum. Non enim nos ad hoc fecit, ut nos gehennae tradat ignique perpetuo. Regnum caelorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est, et ut hoc ita esse ex evangeliis doceam: Ipse etenim Dominus dicit his, qui a dextris sunt: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod preparatum est vobis ante constitutionem^h mundi¹; illis autem, qui a sinistris sunt, dicit: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui preparatus est, non dixit: vobis, sed: diabolo et angelis eius². Sic ergo propter diabolum ge-*

- ^{a)} adhērit c.
- ^{b}} similitudinēm c.
- ^{c}} a c.
- ^{d)} conditori c.
- ^{e)} quando qui c.
- ^{f)} sancti c.
- ^{g)} reparationem c.
- ^{h)} constitutione c.

1) Matth. 25, 34.
2) Matth. 25, 41.

*hennae^a ignis, propter hominem regnum caelorum a constitutione mundi preparatum est. Tantum est, ne nosmet ipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus; donec enim sumus in ac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est ablui^b omnia per penitentiam¹. Cum igitur in hac felicitate et quiete carnis ac spiritus homo cum coniuge sibi ad adiutorium data Dei frequenti adlocutione et angelica visione letaretur et dormiens sileret^c et somno suo a clamore alicuius infirmitatis requiesceret et immortalitatem carnis sine interpositione dissolutionis et immortalitatem anime, cui mors non per essentiam, sed [per pecca]tum accidit, praestolaretur, vidiit, ut diximus, diabolus et invidit^d, cognito nobis modo per frequentiam sacrarum lectionum temptavit et per libertatem arbitrii ei consentientem superavit atque hoc quietis silentium, ubi conditus fuerat, abstulit ac, cui divinitatem promisit, inmortalem tulit, cum contra eum, videlicet hostem suum, homo liberum voluntatis arbitrium acceperit. Cui quia sua sponte succubuit, mox de se, quod contra se perstreperet, invenit, mox in certamine infirmitatis tumultus repperit et, quamvis in pace silentii ab auctore fuerit conditus, hosti tamen sponte substratus, clamores de pugna toleravit et, ipse vitiatus et massa peccati aeffectus atque merito de paradyso propter inobedientiam suam proiectus, alios generare non potuit, nisi tales, qualem se ipsum fecit, peccatores videlicet, quia de amara radice gigni nisi amarus fructus non potuit, quoniam, sicut docet apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt²; quia, si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennę generaret; generavit enim, quod fuit filius irae, filios ire — filius quippe ire per arbitrii libertatem, filios ire gennit de se massa peccati^e — quod significatum est, ubi dictum est ei: *Quia obaudisti vocem uxoris tuae³ plus quam me; et ideo ei peccanti dictum est: Terra es**

- ^{a)} gehenna c.
- ^{b)} abluvio c.
- ^{c)} scileret c.
- ^{d)} invidet c.
- ^{e)} peccata c.
- ^{f)} quid c.

1) Johannis Chrysostomi adhortatio ad Theodorum lapsum, l. I, c. 8. Opp. (ed. Maur.) vol. I, p. 11. Im Wortlaut machen sich starke Abweichungen geltend, welche vielleicht durch eigene Übertragung der ursprünglich griechischen Fassung zu erklären sind.

2) Rom. 5, 12.

3) Gen. 3, 17.

et in terram ibis¹, ut, qui mortem ani[m]ae spon[te] incurrit, mortem corporis sustineret invitus; quia pro[cul] dubio, quo post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc, si parentes primi in conditionis sue statu perstitissent^a, etiam sine morte corporum transferri potuissent, et soli illi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, ab illis primis parentibus nascerentur. Sed Deus omnipotens, qui diaboli malo bene uti novit et pr[er]uptum angelorum numerum, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis angelis diabolo, remanserunt, de humano genere redintegrare disposuit, hanc ovem centesimam requirere errantem, relictis nonaginta novem o[bi]bus, in montibus per carnis suę praesentiam praedestinavit, quod et se acturum prescivit. Et propter hanc praedestinationem redintegrationis huius angelici numeri, qui per casum diaboli praeruptus est, de patre dicitur: *Proposuit in eo*^b, scilicet in redemptore nostro, *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, que in celis sunt et que in terra in ipso*² — in ipso quippe restaurantur ea, que in terra sunt, dum peccatores ad iustitiam convertuntur; in ipso quippe restaurantur ea, que in celis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, unde apostate angeli superbiendo ceciderunt; quia has duas ad intellegendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam; utramque vero superbia perculit atque a^c statu ingenitę rectitudinis fregit: sed una tegmen carnis habuit, alia vero nil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero est spiritus et caro. Misertus ergo creator, ut redimeret illam, ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpe ex infirmitate aliquid con[stat eg]isse; et eo altius debuit apostamat angelum repellere, quo, cum a persistendi fortitudine corruerit, nil infirmum ex carne gestavit. Unde psalmista causam misericordie exprimit dicens: *Et memoratus est, quia caro sunt*³; et alia causa est, cur perditus homo reparari debuerit^d et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimis angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Et ideo nec ovis centesima post culpam periit, quia natura humana ab auctore omnium sumpta ex Maria semper virgine, operante spiritu sancto, quod natum est ex ea, sanctum est, qui predesti-

^{a)} prestitissent c.

^{b)} s in fine deleta est.

^{c)} ab c.

^{d)} debuit c.

1) Vgl. Gen. 3, 19.

2) Eph. 1, 9, 10.

3) Ps. 77, 39.

natus est filius Dei ad redemptionem et reparationem humani generis et ad redintegrationem angelici numeri in virtute secundum spiritum sanctificationis etiam cum multiplici^a fenore; quia, novem remanentibus angelorum ordinibus, decimus ordo cecidit. Ad^b quem ordinem reparandum homo est creatus, et ita reparatus, ut tantos illuc ascensuros credamus, quanti ex electorum angelorum numero in caelestibus remanserunt. Et tam copiosa est generis humani redemptio ex sanguine redemptoris nostri, qui ad passionem redemptionis nostrae conflictans cum diabolo et triumphans eum in semetipso non veniret, nisi Adam primus, diabolo suadente, per arbitrii libertatem ab immortalitate decideret. Sed et est quedam pars ex humano genere orta ex massa peccati, que deligit potius adherere deceptori suo diabolo et permanere in incredulitate et persistere in peccatis proprii [arbitrii] libertate^c potius, quam oboedire creatori suo et adherere mandatis eius et trahenti se gratiae^d illius manum oboedientię porrigere, sicut et quedam pars extitit in angelica creatura, que potius principi suo, diabolo per superbiam cadenti, elegit adherere, quam cum sanctis angelis in gratia conditoris^e sui per arbitrii libertatem persistere: et^f ideo itura est in ignem aeternum, diabolo et angelis eius preparatum, quia dignum est, ut, quem sequitur, quod habebit ille suus previus, habeat et subsecutor; sicut econtra^g habebunt bonum aeternum illi, quibus per gratiam conditoris et redemptoris sui bonum est, ei adherere in hoc saeculo.

Unde multi suam vitam neglegentes et suam neglegentiam in auctorem retorquentes, ut et primi parentes nostri fecerant, præscientiam et praedestinationem confuderunt, dicentes, alios predestinatos esse ad poenam et ideo creatos, ut in ignem eant aeternum, et alios praedestinatos esse ad gloriam et ad hoc creatos, ut regnum percipient sempiternum. Contra quos sancti patres nostri dissertissime et apertissime disputarunt, quosque revicerunt et pertinaciter contendentes aeternaliter dampnaverunt. Nam, sicut verbis sancti Iohannis docuimus, homo ad vitam et regnum aeternum creatus est, sed sua voluntate perditus per arbitrii libertatem. Unde quidam ex eo nati per indebitam misericordiam^h et gratuitam gratiam praesciti sunt a Deo per arbitrii libertatem adiuti gratia boni futuri et predestinati sunt Dei

^{a)} mul iteratum.

^{b)} at c.

^{c)} libertatem c.

^{d)} gretiae c.

^{e)} conditori c.

^{f)} e c.

^{g)} tecontra c.

^{h)} sequitur locus rasus.

benigno proposito boni permansuri et vocati sunt per fidem rectam et opera bona ad regnum aeternum venturi et iustificati sunt in bonis gratia Dei perseveraturi et glorificati sunt [aeter]na gloria in misericordia et miserationibus Domini coronandi; qui ^a autem per iustum Dei iudicium presesti sunt ab omnipotente et omnisciente notitia Dei, non predestinati mali futuri et aut in infidelitate aequae praesciti, non praedestinati sunt permansuri aut in iniuitate perduraturi aut de simulata iustitia et vera iniustitia, quia diabolo et operibus et pompis eius magis adherere delegerunt, quam Deo et voluntati eius oboedire, poenas, quae praeparatae sunt diabolo et eius angelis ^b, praesciti sunt luituri. Unde et iste, quem praescripsimus, Gotescalcus ^c frigidos cineres in suos ipsos oculos insufflavit et se ipsum ac se auscultantes exsecavit. Quapropter quam differentiam patres sancti inter praescientiam et praedestinationem ex sacris scripturis docuerunt, accipite.

Beatus Augustinus in libro de praedestinatione dicit: *Praedestinatio quippe a praemittendo et praeveniendo vel ordinando futurum aliquid dicitur*¹, et post pauca: *Massa itaque humani generis, quae in Adam et Eva praevaricatione dampnabilis mortalisque facta est, non in conditione divina generaliter, sed ex debito poenae cruciatuque ^d gehennae debetur. Venia vero non merito confertur, sed Dei iusti iudicis misericordiae largitate. Quia vero iustus et misericors Deus prae-*sciusque est futurorum, ex hac dampnabili massa non personarum acceptione, sed iuditio aequitatis suae inreprehensibili, immo incomprehensibili quosdam misericordia gratuita praescit et preparat, id est predestinat ad eternam vitam. Ceteros autem poena, ut predixi, debita punit; quos ideo punit, quia, quid essent futuri, prescivit: non tamen puniendos ipse fecit vel predestinavit, sed tantum, ut dici, in dampnabili massa prescivit². Et iterum: *Diximus namque, de dampnabili humani generis massa Deum praescisse misericordia, non meritis, quos et electione gratiae praedestinavit ad vitam; ceteros vero, qui iudicio iustitiae eius ab hac gratia efficiuntur expertes, praescisse tantum vitio proprio perituros, non, ut peri-*

^{a)} quid c.

^{b)} eius et angeli c.

^{c)} g c.

^{d)} cruciatusque c.

1) Hypomnesticon contra Pelagianos et Caelestianos vulgo libri Hypognosticon, liber VI: in quo de praedestinatione contra Pelagianos disputatur. Augustini Opp. (ed. Maur.) vol. X. App. p. 43.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 43.

rent, predestinasse. Sed, ut dixi, quos in operibus^a impietatis et mortis prescivit, non praordinavit nec in pulit¹. Et post^b pauca: His poenam predestinatam esse rite fatemur, et attendendum^c, quod non dicit, eos ad penam predestinatos esse rite fatemur, sed his poenam predestinatam esse rite fatemur². Et ibi: Quod ut probare valeamus, solum reor ad exemplum sufficere Iudam. Hunc enim, Deus cum prescisset, in vitiis proprie voluntatis pessimum fore, id est: electione discipulatus sui bene a Christo conferenda^d male usurum et avaritia ardenter pretio Iudeis Dominum traditurum, poenam ei praedestinavit ex merito^e, et cetera quae ibi secuntur. Quapropter^f male intellexit, quod dixit infidelis Gotescalcus^g in maledicto scripto ad Gislemarum: Cum itaque, inquiens, audimus: Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?⁴ Illos debemus intelligere electos per misericordiam^g, illum per iuditium; illos ergo elegit ad optinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Sanctus enim Augustinus scribit ita: Ubi ergo com[memo]ratio operum eius malorum a sancto fit spiritu in psalmis, priusquam esset, praescitus est, non factus, quod talis adversus filium Dei futurus esset; si enim talis factus esset, inculpabilis esset et Dei opificio repu[t]aretur^h, non Iude. In iuste etiam in eumⁱ prolata^k dampnatio esset. Sed absit hoc a summe bono iudice, auctore omnium bonorum, Deo, dampnatore vero cunctorum malorum, qui malum Iudam, ut praedixi, prescivit, non fecit⁵ ac per hoc nec ad malum faciendum elegit, sed tantum, licet eligeret, praescivit. Et post pauca: Nemo periit, nisi filius perditionis⁶; nam poenam illi praedestinatam pro malis suis, in quibus, ut sepe dixi, praescitus est tantum, non predestinatus. Illic plene de eo agnoscamus, ubi de eo

^{a)} opera c.

^{b)} pos c.

^{c)} attendum c.

^{d)} conferanda c.

^{e)} quiapropter c.

^{f)} g c.

^{g)} misericordiam.

^{h)} t erasa est.

ⁱ⁾ eo c.

^{k)} prelata c.

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 45.

2) Ib. p. 45.

3) Ib. p. 45.

4) Joh. 6, 71.

5) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

6) Joh. 17, 12.

*dicitur ab apostolo Petro, ut iret in locum suum¹, translato scilicet in alterum honore episcopatus eius, vel cetera, ubi legitur, quod dampnatus sit, antequam natus, secundum id quod disputatione praediximus². Quod male intellexit Gotescalcus³. Et bene disputavit sanctus Augustinus, sicut dicit in libro de agone^b cristiano: *Sic^c ergo, inquit, cum dixit: ad iudicium non veniet³, hoc dixit, quia non veniet ad damnationem. Qui autem non credit, iam iudicatus est: hoc dixit, quia iam dampnatus est præscientia Dei, qui novit, quid immineat non credentibus⁴* — præscientia enim, dixit, iam dampnatus est, non prædestinatione. Et item in libro de prædestinatione: *Verum autem esse, quod diximus, licet plene sit disputatum, id est: perituri poenam esse prædestinatam* — non autem dixit: perituros [ad] poenam esse prædestinatos; sicut et scriptum est in evangelio: *Ite in ignem aeternum, quem preparavit pater meus diabolo et angelis eius⁵; prædestinatis autem: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi⁶, id est: prædestinatum⁷, quia et electos prædestinavit ad regnum et regnum aeternum prædestinavit electis; reprobos autem propria voluntate per arbitrii libertatem divina præscientia non prædestinavit ad penam, quia Deus nec ad ignem aeternum hominem fecit, nec ignem aeternum propter hominem, sed propter diabolum et angelos eius, nec aliis in ignem vadit aeternum de ratione dumtaxat utentibus, nisi qui deserit Deum aut per incredulitatem aut per apostasiam et adheret diabolo, propter quem factus est et cui paratus est ignis aeternus. Ac per hoc prædestinata est poena simul cum diabolo omnibus, qui se membra mali capititis diaboli faciunt, deserentes pium caput dominum Iesum Christum pravis moribus et malis operibus, et pertinaciter usque in finem mancipia diaboli proprio arbitrio fieri deliberant et ad pium conditorem et redemptorem suum reverti non satagent. Unde et beatus Augustinus in praefato libro de prædestinatione dicit: *Tenenda est igitur inconcusse huius disputationis regula, quæ divinis testimoniis claruit: peccatores in***

a) g. c.

b) agono c.

c) si c.

1) Act. 1, 25.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

3) Vgl. Joh. 3, 17.

4) Augustini Opp. vol. VI, p. 258.

5) Vgl. Matth. 25, 41.

6) Vgl. Matth. 25, 34.

7) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

*malis propriis, antequam essent in mundo, praescitos esse tan-
tum, non praedestinatos; poenam autem eis esse praedestinatam
secundum quod presciti sunt; parvulos quoque non renatos ex
aqua et spiritu sancto praedestinatę poenae esse obnoxios, qui
presciti sunt non [in] propriis voluntatibus, [quo]rum nullae sunt
bonę vel male, nisi tantum in Ade peccato, quod traxerunt
nascentes, et in hoc manentes solverunt tempus vite praes-
sentis¹ — et attendendum, quia non dixit: parvulos non re-
natos ex aqua et spiritu sancto praedestinatos esse ad poenam,
sed: obnoxios esse praedestinatę poenę. Et item post pauca:
*Qui vero secundum propositum Dei vivunt, prescitos esse et
praedestinatos electione gratuita gratie eius, et regnum eis cae-
lorum esse praedestinatum, sine dubitatione dicendum est²;*
quod et conprobat sanctorum scripturarum testimonii.*

Et beatus Hieronimus in libro, qui titulatur de obduratione
cordis Pharaonis³, et de praescitis et praedestinatis: *Iacob*, in-

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46. 47.

2) Ib. p. 47.

3) In seinem Kommentar zum Jesaias l. XVII, c. LXIII. sagt
Hieronymus: Et Pharaonis dicitur Deus indurasse cor, ne dimitteret
populum eius et ut decem plagis affligeretur. Quam quaestionem
diligentissime Paulus disseruit ad Romanos et nos in quodam opere
perstrinximus.

Dazu bemerkt Martianay in der Ausgabe der Werke des Hieronimus vol. III, p. 471 (und ebenso Vallarsi): Intelligit epistolam Hedibiae scriptam; nam quaestione X. hanc disseruit difficultatem. Außer diesem Briefe muß aber noch eine besondere Schrift, welche unter dem Namen des Hieronimus ging, denselben Gegenstand behandelt haben; denn erstens spricht Hinkmar von einem liber, zweitens lassen sich die Stellen, welche er dem Hieronimus entlehnt hat, nicht in dem angezogenen Briefe nachweisen. Daß es eine untergeschobene Schrift war, dürfte aus folgender Aufserung hervorgehen, welche sich in dem Ecclesiae Lugdunensis de tribus epistolis liber (Bibl. max. veterum patrum Lugd. vol. XV, p. 688) findet: Libellum vero de induratione cordis Pharaonis, qui a beato Hieronymo scriptus putatur, nec in libro de viris illustribus nec in venerabili vita eius historia inter eius opuscula invenire potuimus. In libro tamen septimo-decimo explanationum Isaiae prophetae aliquid tale scripsisse com- memorat, nec tamen specialiter de induratione cordis Pharaonis, sed de tota illa ad Romanos difficillima apostoli quaestione breviter perstrinxisse designat. Sed quia nos huiusmodi libellum numquam vidi- mus, utrum ille, qui apud istos invenitur, et styli gravitate et fidei sinceritate eius esse credendus sit, tamquam de ignoto iudicare non possumus.

Die Schrift, welche schon zu Hinkmar's Zeit selten gewesen zu sein scheint, dürfte nicht mehr vorhanden sein; jedenfalls steht sie nicht in den Ausgaben der Werke des Hieronimus; sie wird auch von Zöckler: Hieronimus, sein Leben und sein Wirken (Gotha 1865), S. 471 f. nicht unter den untergeschobenen Hieronymusschriften aufgeführt, welche noch heute vorliegen.

quit, dilexi, Esau autem odio habui¹. Quam hystoriam dum exponit, quin sanctus apostolus Paulus, perfecte querentibus Dei praescientiam reddidit manifestam, quomodo Dei prescientia oboedientes sibi^a diligat, sustineat vero et presciat contemptores. Ne forte, cum Dei prescientiam auditoribus declarat, male audiētes Deum personarum acceptorem opinarentur, subiunxit: Quid ergo, inquit, dicemus? Numquid iniqūitas apud Deum? Absit² — hoc est: non malitia res est, ut minor dominetur maiori, sed huius^b, qui in Deo^c ponit spem suam. Et post pauca: Hi sunt ergo, quibus misericordia prestatur. Et item post pauca: Miseretur ergo Deus, cum liberat deprecantem; misericordiam vero prestat, quando sublimat de terra inopem et in solio gloriae collocat. Et post aliquanta: Et simul declarans, quem sustinuit: Vasa, inquit, ire apta ad interitum³. Que si ipse praedestinasset aut aptasset ad interitum et non [reliquisset] consentiendo diabolo, numquam ea in multa patientia sustinuisse Dominum ab apostolo diceremur; sed abstensa omni impia suspitione ostendit, Deum procul esse ab interitu peccatorum, et docet, eum in multa patientia impios ad paientiam sustinere, sicut ipse probat beatus Paulus: Sustinuit, ait, in multa patientia vasa ire, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, que preparavit Deus in gloriam⁴ suam. Et item: Et ut verius comprobaret, in dilectione creatoris potius, quam in praedestinatione omnem summam perfectionis consistere, ita probavit dicendo: Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum⁵. Et post paululum: Et ne forte quereretur, quur omnibus ista non prospere cedant, edocuit, propositum mentis requiri, quod insertum est in natura, de quo angeli clamant in redemptoris ingressu: Pax in terra hominibus bone voluntatis⁶, adiecit: quibus prodesset ista cooperatio bonitatis, et ait: qui secundum propositum vocati sunt sancti; et omnes quidem vocatos esse manifestum est^d secundum prophetam David: Audite hec omnes gentes⁷ et laudate Dominum omnes gentes et conlaudate eum

a) se c.

b) his c.

c) deum c.

d) et c.

1) Rom. 9, 13.

2) Rom. 9, 14.

3) Rom. 9, 22.

4) Rom. 9, 22. 23.

5) Rom. 8, 28.

6) Luk. 2, 14.

7) Ps. 48, 2.

omnes populi¹ et iubilate Deo omnis terra²; sed his prodesse tantummodo vocationem, qui secundum propositum sue bonae voluntatis venerint ad vocantem et venientes perstiterint in sua vocatione.

De præscientia et prædestinatione beatus Prosper ad responsa male intellegentium dicta beati Augustini ita dicit: *Prædestinationis fides multa sanctorum auctoritate scripturarum munita est. Cui nullo modo fas est ea, que ab hominibus male aguntur, adscribi, qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prevaricatione venerunt³.* Et item: *Prædestinationem [autem] Dei sive ad bonum sive ad malum in hominibus operari, ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quedam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intellegenda^a de gratia, in malis autem voluntas intellegenda sine gratia⁴.* Et item: *Ex regeneratis in Christo Iesu quosdam, relictæ fide et piis moribus, apostatare a Deo et impiam vitam in sua aversione finire, multis, quod dolendum est, probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo adscribere, immodecum pravitatis est, quasi ideo ruinae ipsorum impulsor atque auctor sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit et ob^b hoc a filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit⁵.* Contra eos, qui dicunt: *quod quibusdam vocatis et pie iusteque viventibus oboedientia subtrahatur, ut oboedire desistant⁶,* inter alia dicit: *Quid tam perversum, quid tam insanum dici aut cogitari potest, cum putant, hoc esse in hominibus præscientiam Dei, quod et voluntatem: cum voluntas eius numquam velit nisi bona, qui aut ipse faciat^c aut etiam, ut nos faciamus, imperet; mala autem, que omnino ipse non fecit, neque fieri suasit aut impulit!* *Vires itaque oboedientiae non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit, sed ideo eum non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa oboedientia esse prævidit⁷.* Contra eos, qui dicunt: *quod, qui evangelice prædicationi non credunt,*

a) interpositum si.

b) ab c.

c) facit c.

1) Ps. 116, 1.

2) Ps. 65, 1; 99, 1.

3) Prosperi Aquitani pro Augustino responsiones ad capitula calumniantium Gallorum: lib. I, responsio ad obiectiōnem I. Augustini Opp. (ed. Maur.) vol. X. App. p. 198.

4) Augustini Opp. vol. X. App. p. 200.

5) Ib. p. 200. 201.

6) Obiectio XII.

7) Augustini Opp. vol. X. App. p. 203. 204.

*ex Dei predestinatione non credant, et quod Deus ita diffinierit, ut, quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant*¹, ita dicit: *Infidelitas non credentium evangelio nequam ex Dei predestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum; praedestinatio igitur Dei semper in bono est aut ad retributionem iustitiae aut ad donationem pertinens gratiae*². Contra eos, qui confundunt prescientiam et predestinationem³, sicut et Gotescalcus^a, dicit: *Qui prescientiam Dei in nullo ab ipsius predestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum, Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creature nequitiam referenda sint, dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum et praescisse simul et predestinasse, quae ipso erant auctore facienda vel que malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: prescisse autem tantummodo, non etiam predestinasse, que non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine predestinatione esse prescientia. Praedestinatio autem sine prescientia esse non potest. Item qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum praedestinatio Dei in hominibus operetur, non est catholicus. Item qui dicit, quod quibusdam vocatis et pie iusteque viventibus oboedientia subtrahitur, ut oboedire desistant, male opinatur de bonitate Dei atque iustitia, ut videatur ad impietatem pios cogere et innocentiam bonis adimere, cum ipse sit pietatis ac innocentiae largitor et custos. Qui ergo Deo adheret^b, spiritu Dei agitur; qui autem a Deo recedit^c, propria voluntate oboedire desistit^d.*

Contra falsam autem opinionem et presumptiosam assertionem, qua dicitur, quia Deus non omnes homines vult salvari et ad agnitionem veritatis venire, sed tantum praedestinatos^d, multa beatus Augustinus dicit, que dicta Prosper male [intel]legentibus apertius exponit⁵. Sed et hoc beatus Hieronimus in prefato libro de obduratione cordis Pharaonis^e ita manifestissime pandit:

a) g. c.

b) adh̄erere c.

c) rececedit c.

d) cod.: praedestinatos; o corr. ex u.

e) faraonis c.

1) Obiectio XIV.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 204.

3) Vgl. Obiectio XV.

4) Augustini Opp. vol. X. App. p. 205—207.

5) Vgl. die Responsio der Obiectio VIII, p. 201.

Ex ipsum, inquiens, ut supra dictum est, huius personam^a inducere Paulus probatur et cum eo agere debetur mysteria legis, qui non ad profectum^b anime, sed ad contentionem per ostentandam verborum iactantiam cupit inquirere, qui, prius quam credat et agnoscat discendo, qualis sit Deus, huius vult opera discutiendo agnoscere, quem scire non vult credendo, et antea vult eius actus et voluntatem intellegere et iudex existere, quam suum iudicem et factorem cognoscat. Huic ergo silentium imponit apostolus dicendo: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo^c? Et post pauca: Nam si ita, ut heretici putant, crederatur, abrupte Paulum firmasse de Deo: cui vult, miseretur et, quem vult, indurat^d — quod absit a sensu catholico, et non (potius increpativus sermo est, redarguens blasphemantem) finita est sententia bene currentium — frustra preceptum^e accepit humana natura: Diliges dominum Deum tuum^f, et per Esaiam: Si volueritis et audieritis me, dicit Dominus, bona terre edetis; si non, gladius vorabit vos^g, et ipse redemptor Christus cum iuramento confirmat: Amen, inquit, dico vobis, quia omnis, qui petit, accipit; qui querit, invenit, et, qui pulsat, aperietur ei^h; et frustra data est lex, que retraheret hominem a peccato et persuadendo ad regna caelorum perduceret; frustra et ipse redemptor noster passus est Christus, ut nobis exemplum suae passionis relinquat, ut nos eius exemplo persuaderemur, ad exquoquendas sordes peccati igni passionis vel tribu[la]tionis libertissime admoveri, ut, sicut per lugubrem letitiam delectationis diaboli vestigia secuti sumus peccando, ita ab inlicitis continendo humilitatem et mansuetudinem diligentes vestigia Christi sequamur, qui dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis cordeⁱ, qui et lamentatur super Hierusalem; qui nisi nosset, se in natura condidisse arbitrium et rationem, per quod creator ab omni perditione alienus monstraretur, numquam laudaretur homo de velle bonum nec^j culparetur de nolle. Et post paululum: Adfigatur ergo patrum vel apostolorum regula fidei cordibus nostris: Deum personam neque in liberando neque

^{a)} in fine n aut is erasum est.

^{b)} propheetum c; in margine nota.

^{c)} precepto c.

^{d)} ne c.

¹⁾ Rom. 9, 20.

²⁾ Rom. 9, 18.

³⁾ Deut. 6, 5.

⁴⁾ Jes. 1, 19. 20.

⁵⁾ Luk. 11, 9. 10.

⁶⁾ Matth. 11, 29.

in dampnando ullius accipere; sed unicuique secundum gestorum suorum qualitatem ante tribunal Christi examinandum. Et post paululum: *In quo licet sit^a tanta potestas, ut omnia, quae voluerit, faciat, et nemo potest dicere ei: Cur fecisti me? — tamen est in eo ratio et iustitia simul et pietas, quae contradicunt poenitentiae, ne quid tale fiat, quod eius bonitati inconveniens sit, aut diabolus reprehendat.* Et post aliquanta: *Vicina siquidem vox videtur esse: Ego indurabo cor Pharaonis¹, cum illa evangelii², ubi refertur de Iuda: Cum, inqui[t]^b, porrexisset ei salvator bucellam^c, intravit in eum Satanus, ut traderet eum.* Quodsi creditur, Deum voluisse perire Pharaonem per hoc, quod dixit^d, se cor eius induraturum, credatur et Christus traditoris^e sui per buccelle porrectionem causa perditionis extitisse, qui etiam usque ad illam horam eum sua benignitate ad poenitentiam invitavit, dicens: *Iuda, osculo filium hominis tradis?*³ Qui si nollet suscipere poenitentem, numquam audire mereretur Pharao vocem Domini per Moysen: *Haec dicit dominus Deus Hebreorum: Di[mitte] populum meum, ut serviat mihi⁴, nec Iude diceretur: Ve homini illi, per quem filius hominis tradetur⁵.* Et beatus Johannes Chrysostomus: *Propterea denique et Iudam inimicus hinc rapuit, ne forte, quia sciebat, quod esset redditus ad salutem, lapsum suum poenitentia reformaret.* Ego enim etiam, si mirum videtur esse, quod dico, ne illud quidem Iudae peccatum dixerim vires excedere potuisse poenitentiae⁶. Et item Hieronimus: *Facti sumus, ait Esaias propheta^f, sicut in principio, dum non dominareris nostri, dum non invocaretur nomen tuum super nos⁷: videsne, quia praecedentibus malis operibus et fetore nequitiae habitator cordis elongatur, Deus, qui dixit: Inhabitabo in eis⁸? et elongante Deo cessat dominatio et cura eius a nobis, et ces-*

a) si c.

b) littera t erasa.

c) bucella c.

d) t ex s corr.

e) s apposita.

f) prophetae c.

1) Exod. 14, 17; vgl. 4 und 8.

2) Joh. 13, 27.

3) Luk. 22, 48.

4) Exod. 9, 1; 10, 3.

5) Luk. 22, 22.

6) Johannis Chrysostomi ad Theodorum lapsum, l. I, c. 8. Opp. vol. I, p. 12.

7) Jes. 63, 19.

8) 2 Kor. 6, 16.

sante cura eius a nobis adpropriat^a cordi nostro diabolus, qui secundum suam duritiam et voluntatem afficit^b, quam a timore Dei vacantem invenerit mentem. Et cum haec ita evenerint, ut diabolus habitator cordis efficiatur, fetore malitiae suae, cum sit spiritus nequam, animae necessario innodatur, utpote spiritus spiritui insertus, acsi coagulum^c lacti misceatur, per quod ex liquore in soliditatem mutetur. Ita ad suam militiam^d constringit et unit, in quo inhabitat corde, ut ait propheta dicendo: Coagulatum est, sicut lac, cor eorum¹. Et post paululum: Cum ergo effectus fuerit quis talis, quo deseratur a Deo, incipit unus spiritus esse cum diabolo, qui caminus dicitur, et necesse est, ut eius vicinitate quasi lutum ab igne duretur. Et item post aliquanta: Fixa sit igitur in primis anchora nostrae credulitatis: Deum neminem velle perire, [nem]i nem eum extra suam imaginem fabricasse. Et item: Vera est siquidem haec sententia: Cui vult, Deus miseretur et, quem vult, indurat². Sed queramus, qualis sit boni Dei voluntas, bona an mala. Sed nullus sane mentis audebit dicere, bonum Deum malam habere voluntatem, cum ipse, qui est in sinu patris, testetur: neminem natura bonum^e, nisi solum Deum³. Et bonus qualem credendus est habere voluntatem, nisi quod est? Ecce noster Deus, immo Christi, bonus bona velle probatur. Producant nunc illi alium Deum, qui^f possit conveniens esse eorum dementiae, qui dicunt, Deum non omnes velle salvari. Et post pauca: Contra quam bonam voluntatem diabolus cotidie pugnat, ut eum de bonitate ad servitiam convertat, et hac de causa homines in peccata compellit. Sed ideo cotidie suscipit poenitentes Dei bona voluntas, quia vincere non potest, quod, nisi omnibus virtutibus Dei precelleret eius voluntas, priusquam formaretur, cum innocentibus sola prescientia dampnatus fuisset mundus: quod prescitem fuit impensis cum magno detimento iustorum; docens itaque beatus apostolus Paulus: voluntati eius neminem posse resistere⁴, que contra prescientiam sola potuit optinere, ut pro parvo numero iustorum maluisset multa milia impiorum subsistere, obstante praescientia et

^{a)} adproprietat c.

^{b)} efficit c.

^{c)} superscriptum est: co.

^{d)} nescio an militiam in malitiam emendandum sit.

^{e)} deum c.

^{f)} quo c.

1) Ps. 118, 70.

2) Rom. 9, 18.

3) Luk. 18, 19.

4) Rom. 9, 19.

quodammodo vociferante, antequam fieret homo, eam principium fore. Sed bona voluntas nec a prescientia potuit superari, ut haberet, cui bonitatis suae divitias cotidie inpertiret, cum suscipit poenitentes et efficit iustos. Nam in Cantico canticorum per Salomonem docuit spiritus sanctus, qualis vel quanta sit bona Dei voluntas, cum ad eius decorum aeccliae pulchritudinem comparat dicendo: Tota formosa es, proxima mea, tota speciosa sicut bo[na vo]luntas¹. Et quę vel cuius potest esse bona voluntas, nisi solius Dei, qui solus natura bonus est? quodsi et ^a homines habeant bonam voluntatem, ab illo acceperunt, qui a nullo accepit, ut esset. Et quid aliud potest intellegi eius voluntas, nisi misericordia? quam omnium virtutum Dei cumulum comprobavit propheta, cum ait: Et miserationes eius super omnia opera eius². Et item ad locum: Nam secundum rationem, qua creati simus, per arbitrii libertatem efficit se unusquisque vas honoris aut contumeliae, in quo aut actibus bonis spiritus sanctus portetur, aut malis diabolus teneatur inclusus. Sicut de Saul rege Israhel probat regum^b historia; qui, quamdiu Deum habuit habitatorem, eius mandata servando fuit vas in honorem; ubi vero odiendo gratis David sive voluntate^c diabolo patefecit ingressum, factus est vas contumeliae, in quo diabolus baccharetur, probante scriptura: Recessit, inquit, spiritus Domini a Saul³, et suffocabat eum malus, hoc est diabolus. Similiter Hieroboam rex Israhel fuit: et ipse vas honoris, quando per manum prophetae super decem tribus regnum a Deo suscepit; sed fidutiam gerens in idolis vitulos fabricando factus est vas contumeliae, diabolum et eius idola in suo corde suscipiendo. Cuius contumacia totam Israheliticam plebem infecit, regum^b historia per tot annorum seriem lamentante: Et non est, inquit⁴, aversa ira Domini ab Israhel propter Hieroboam, filium Nabat, qui peccare fecit Israhel. Pari vice et de Manasse rege Iuda docemur, qui recedendo a patro Deo, delubra colendo, instaurando fana demonibus in sanctuarium Dei, effectus est vas contumeliae; [cuius] fetorem ita exhorruit Dominus, ut eum, quasi vas plenum stercoribus, de domo sua Israhel in caminum Babiloniae civitatis iactasse legatur; ubi in cavea ferrea quasi in fornace inclusus ita ab

- a) quod et si c.
- b) regnum c.
- c) voluntatis c.

1) Vgl. Cant. 2, 10. 13.

2) Ps. 144, 9.

3) 1 Reg. 16, 14.

4) Vgl. 2 Paral. 12, 12 und 3 Reg. 22, 53.

omni scoria peccatorum excocitus referatur et fluentis lacrimarum delutus, ut in vas honoris commutaretur, qui dignus esset, in domum Domini reportari, id est in terram Israel, et esse vas in honore, sicut^a Paralipomenon^b docet historia^c: eum post poenitentiam regno patrio restitutum et ad Dei amicitias revo- catum. Simili modo et de rege David invenies², qui de vase honoris vas contumeliae effectus fuerat, male utendo coniuge aliena, nisi satisfactionis rasorio intima cordis mundaret a peccato, ubi spiritus sanctus reingrederetur, qui aufugerat fetorem peccati, qui eum ex contumeliae vase vas honoris efficeret, sicut ipse clamat in quinquagesimo psalmo: Spiritum rectum innova in visceribus meis, spiritum sanctum tuum ne auferas a me³. Ecce quomodo habet potestatem figulus luti, id est factor noster Deus, facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam⁴: ut, quamdiu per sanctam conversationem Deum habitatorem habuerit quis, sit vas in honorem; ubi vero contra Dei fecerit voluntatem, refugiente spiritu sancto, evacuat cor eius omni^d sanctificatione, quod mox, ut vacans^e invenerit spiritus inmundus, suis operibus omni spurcitia implet. De quo dicit salvator: Et erunt hominis illius novissima peiora prioribus⁵: per haec scilicet dicitur, vas contumeliæ efficere Deum, cum recedit ab eius corde, qui dignus est prolongari; efficit vero ex contumeliæ vasis vasa honoris, cum suscipit penitentes et inmundâ corda eorum sua visitatione efficit munda. Et post pauca: Efficitur nempe sua ignavia aut sua sollertia unusquisque vas honoris vel contumeliae et aptat se aut oboediendo Deo ad vitam aeternam aut oboediendo diabolo ad aeternum interitum, de quibus apostolus duo genera vasorum de una natura exposuit esse effecta: Vasa ire, inquit, in quibus dicit iram Dei ostendi, et vasa misericordiae, in quibus divitiae^f gloriae, hoc est pietatis, demonstrantur⁶. Et post pauca: Et licet generalis sit eius misericordia, quibus tamen

^{a)} sequitur locus rasus.

^{b)} alipomenon c.; in margine nota.

^{c)} h superscripta

^{d)} littera i erasa.

^{e)} vacantem c.

^{f)} divitias c.

1) 2 Paral. 33.

2) 2 Reg. 11. 12.

3) Ps. 50, 12. 13.

4) Rom. 9, 21.

5) Matth. 12, 45; Luk. 11, 26.

6) Rom. 9, 22. 23.

proficiat, demonstravit: in vasa, inquit, misericordiae, quæ preparavit in gloriam¹; et ne forte putaretur in hoc, ipsum in praeparatione vasorum personarum esse acceptorem, adiecit: quos et vocavit, nos, Deus non solum ex Iudeis, sed etiam ex gentibus²; in quo testimonio nullius personam exceptit, quem non vocaverit, sicut ipse per prophetam vociferatur: Audite haec omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis terram³. Unde certissime perdocemur, omnes cum habitatores terrae velle salvari, qui ad omnes mandata vite direxit^a; nam una siquidem vox est prophetiae referentis mandata Dei ad Pharaonem et ad Ninevitam. Et item ad locum: Magnum scilicet lamentum anime credulitas esse cognoscitur, per quam omne virus peccati de corde expellitur, ut contumelie vas honoris efficiatur, sicut ipse beatus Paulus effectus est, ipso testante: qui prius fui blasphemus et contumeliosus⁴. Et post paululum: Deus enim personam hominis non accipit⁵; et, cum ipse sit vas electum pretiosum, optabat, se interire pro contumeliae vasis, si fieri^b posset tantum, ut domus domini eius referta diversorum vasorum multitudine conspiciatur, cum ait: Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt Israhelite⁶, ut illos lucri facerem — non quo vere ille velit anathema a Christo fieri, cui vi[ve]re Christus est, sed ut in servo agnoscas benignantatem, quam in domino dubitare non possis: eum neminem velle perire et flere potius, quam gaudere in perditione vivorum, sicut ipse redemptor cum iuramento testatur: Amen, inquit, dico vobis, quia^c omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum, sed transiet de morte ad vitam⁷; et per Ezechielem prophetam: Vivo ego, dicit Dominus, quia non est voluntatis meae mors impii, sed ut convertatur a via sua mala et vivat⁸. Si ergo dolet^d se unusquisque vas contumelie effectum, per ea, quæ retro dicta sunt, id est sive humana servitute fuscatus sive peccati secundum illud: Omnis, qui facit peccatum, servus est

^{a)} dilexit c.

^{b)} si fi in loco raso.

^{c)} qui c.

^{d)} delet c.

1) Rom. 9, 23.

2) Rom. 9, 24.

3) Ps. 48, 2.

4) 1 Tim. 1, 13.

5) Gal. 2, 6.

6) Rom. 9, 3, 4.

7) Joh. 5, 24 et 11, 26.

8) Ezech. 33, 11 et 18, 23.

*peccati¹, non segniter audiat magistrum dicentem: Si quis mun-
daverit se ab istis, erit vas in honorem², id est a moribus et
actibus contumeliosis, quae Dominus exsecuratur; per quod, dum
a conditore in honorem formatus esset, ipse se, a mandatis Dei
deviando, vas contumeliae fecerat; nunc autem, exauriendo
mala de vasculo cordis sui et hauriendo bona, erit vas in ho-
norem; de quo Dominus sanctum exemplum in alia vasa^a in-
fundit^b. Nam ut liquido perdoceret magister, apostolus, non in
personarum acceptione gradus honoris consistere, sed in amore
Deo^c adh̄erendo, exclusa omni suspitione, ait: Si quis bene mi-
nistraverit, inquit, gradum sibi bonum adquiret et multam
fidutiam apud Deum³. Et item post aliquanta: Si Deus pro
nobis, quis contra nos⁴? Et ne forte, eis tantummodo istam
protectionem proficere, opinaremur, qui presciti, praedestinati,
vocati, iustificati, magnificati sunt, et non omni credenti et in-
vocanti Deum, subiungit: qui unico, inquit, filio suo non pepercit,
sed pro nobis omnibus tradidit eum⁵, sicut dixerat ante pro-
pheta: Erit enim omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvis⁶.
Et ne quis forsi[tan] dubitaret, ad supradictorum magnificentiam
alium posse coniungi, poste aquam dixit: Pro nobis omnibus
tradidit eum, infert: Quomodo non etiam omnia nobis cum illo
donavit⁷? Quodsi dicat aliquis, dona haec illis proficere tantum-
modo, qui conformes per omnia facti sunt Christi maxime, sicut
perverse fidei in usu est dicere: Deus si vellet, poterant omnes
salvari seu vasa honoris effici et non contumeliae — quicumque
igitur ille est, qui sub gratiae colore fati dogma conatur inducere,
prius sententiam beati Pauli diligenter consideret, pro quibus ad-
serat mortuum Christum: pro iustis an pro peccatoribus; et in-
veniet, cui supradicta dona profecerint, vel quomodo vasa con-
tumeliae nonnulli efficiantur. Si ergo pro iustis mortuus est
Christus, non debuit dicere Paulus: *Christus pro impiis mortuus
est⁸*; si ex parte salvari vult et non omnes, quos ad suam ima-*

^{a)} aliis vasis c.

^{b)} secunda littera n superscripta.

^{c)} dei c.

1) Vgl. Rom. 6, 16.

2) 2 Tim. 2, 21.

3) 1 Tim. 3, 13.

4) Rom. 8, 31.

5) Rom. 8, 32.

6) Joel 2, 32.

7) Rom. 8, 32. Dafs hier die Auseinandersetzung des Hieronymus zu Ende ist, gilt mir als wahrscheinlich.

8) Rom. 5, 6.

ginem fecit, mentitus est secundum illos apostolus, qui ait: *Omnis nos oportet adstare ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout gessit, sive bona sive mala*¹, et: *Quicumque seminaverit homo, ea et metet, et, qui seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam, et, qui seminaverit in carne, de carne metet corruptionem*². Et alio loco ait: *Servi facti estis eius, cui oboedistis, sive iustitiae, sive peccati*³, hoc est: effici vas honoris et contumeliae; qui, ut omnem suspicionem abraderet, nullam malitiam residere in Deo, se omnium peccatorum posuit primum, dicendo: *quia Christus Iesus venit in mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*⁴; qui etiam, ut alios ex contumeliae vasis vasa honoris efficeret, se confessus est vas contumeliae aliquando [fuisse], cum ait: *Qui prius fui blasphemus et contumeliosus, sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, ut in me ostenderet Christus omnem patientiam ad formam eorum, qui credituri sunt ei in vitam aeternam*⁵: docens per hęc, auditores suos sibi conformes fieri debere, sicut ipse Christi^a effectus est. Et quomodo debeant effici^b exhortatur: *Imitatores mei estote, ait, sicut et ego Christi*⁶. Qui illud, quod figulum dixerat facere, ubi cum superbo altercari videtur^c, ubi clausam sententiam promulgasse cognoscitur, nunc carissimo filio suo Timotheo diligenter exposuit, in nostro esse arbitrio cum gratia Dei utrum: aut per bona facta et conloquia effici vas honoris, aut per mala facta et turpiloquia vasa contumeliae fieri: *Si quis mundaverit se ab his, erit vas in honorem*⁷. Et a quibus debeat se mundare, subiunxit: *Iuvenilia, inquit, desideria fuge; sectare vero caritatem, pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro; stultas autem et sine disciplina questiones devita*⁸: *multum enim proficiunt ad impietatem*⁹. Haec ergo devitando etiam contumeliae vasa in vasa honoris mutantur; et in quibus teterimus odor diaboli portabatur ad animarum pernitiem, post

^{a)} ita c.; malim christo.

^{b)} effi c.

^{c)} videretur c.

1) 2Kor. 5, 10 (Rom. 14, 10).

2) Gal. 6, 8.

3) Rom. 6, 16.

4) 1Tim. 1, 15.

5) 1Tim. 1, 13. 16.

6) 1Kor. 4, 16; 11, 1.

7) 2Tim. 2, 21.

8) 2Tim. 2, 22. 23.

9) 2Tim. 2, 16.

bonus odor notitiae Christi ad animarum lucra portatur, quia, *ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia*¹. Quapropter omnibus dicendum est: *Sic currite, ut comprehendatis*², quia et Dominus dicit: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate*³.

Quod autem maledicitur, quia ab eis, qui non sunt predestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum⁴, omnis sancta scriptura refellit [ita, ut] omnium catholicorum patrum doctrina resistat^a. Unde et beatus Prosper inter alios ait: *Omnis homo, qui credens in patrem et filium et spiritum sanctum regeneratur in baptismo, tam a propriis peccatis, quae mala voluntate et actione^b contraxit, quam ab originali, quod a parentibus traxit, absolvitur; sed relapsus post baptismum ad infidelitatem et impios mores, qui negat, originali peccato fuisse purgatum, tam falso opinatur, quam qui eundem adserit non aeterna morte esse dampnandum.* Qui enim recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid, nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum^c est, recidit nec in originali peccato dampnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficitur, quae ei propter illa, quae remissa sunt, debebatur, quod Dei praescientiam nec latuit nec fecellit⁵.

Quod etiam maledicitur, quia non predestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo per baptismum regenerati et pie iusteque vixerint^d, nihil eis prospicit, sed tam diu reserventur, donec ruant et pereant, nec ante eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri^e propter praedestinationem, ita revincitur: *A sanctitate ad inmunditiam, a iustitia ad iniuriam, a fide ad impietatem plerosque transire, non dubium est, et huiusmodi sine correctione paenitentiae deficere.* Qui non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia praedestinati non sunt, sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Quod autem [eo] tempore, quo in fide recta et bonis moribus erant, ab hac vita illos Deus non abstulit, ad occulta eius iuditia, quae tamen numquam sunt in-

a) restituat c.

b) actio c.

c) remisum c.

d) vinxerint c.

1) Rom. 5, 20.

2) 1 Kor. 9, 24.

3) Mark. 13, 37.

4) Obiectio II.

5) Augustini Opp. vol. X. App. p. 198. 199.

6) Obiectio III.

iusta, et ad investigabiles vias illius¹ referendum est, que nobis perscrutari non licet, quoniam terribilis in consiliis super filios hominum. Nam certissimum est, nullius animam vel citius vel tardius, quam Deus voluerit, a corpore, quod vivificat, abscedere. Si ergo aliquis in vitae suae longitudine deseruit Deum, bono^a, quod erat ex Deo, male usus est; nam longevitas non est, nisi ex Deo; et quod ex Deo est, non nisi^b bonum est; et quod bonum est, mali causa non est; et non est peccatum diu vivere, sed male vivere².

Quod bene non dicitur, quia omnes^c non vocentur ad gratiam³, ita omnis procax, unde talia proferuntur, ut ex multis pauca dicamus, obstruitur: Predicabitur, inquit Dominus, hoc evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus⁴, et item: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis⁵: onus enim in scripturis saepenumero peccatum signatur; et omnes peccaverunt⁶, secundum apostolum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit⁷ — si in omnes: et in eos, qui ante nos fuerunt, et in omnes, qui nunc sumus, et in omnes, qui futuri sunt, et nullus a vocatione excipitur, sed cunctis venientibus refectio fideli veritate promittitur.

Et si dicitur, quia, qui vocati sunt, non equaliter sint vocati, sed ut alii crederent, alii non crederent⁸, hoc solum exemplum Pauli sufficiat, quia predicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam⁹ — in quibus, videlicet Iudeis et gentibus, omnes homines designantur; et item: Ipsis autem vocatis Iudeis et Grecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam¹⁰. Quod ergo predicatus Christus crucifixus Iudeis est scandalum et gentibus stultitia, humanae voluntatis facit aversio; quod vero ipsis vocatis Iudeis et Grecis Christus est Dei virtus et Dei sapientia, divinae gracie prestat operatio¹¹.

a) bonum c.

b) si c.

c) omnis c.

1) Vgl. Rom. 11, 33.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 199.

3) Obiectio IV.

4) Matth. 24, 14: Augustini Opp. vol. X. App. p. 199.

5) Matth. 11, 28

6) Rom. 3, 23.

7) Rom. 5, 12.

8) Obiectio V.

9) 1Kor. 1, 23: Augustini Opp. vol. X. App. p. 200.

10) 1Kor. 1, 24.

11) Augustini Opp. vol. X. App. p. 200.

Contra hoc, quod dicitur, *quia liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum predestinationis Dei in hominibus operetur*¹, superius manifestissime verbis sancti Hieronimi declaratum est. Et beatus Prosper, ineptissime dictum, probat, *cum in bonis voluntas sit intellegenda de gratia, in malis autem voluntas intellegenda sine gratia*².

Quod dicitur, *quia Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem et dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt a massa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discreti*³, et superius verbis beati Hieronimi docuimus, qualiter intellegendum sit, et nunc ex^a verbis Prosperei recapitulamus: *quia non est calumniandum Deo*^b, *quare istis non dederit, quod aliis dedit; sed confitendum est, et misericorditer eum dedisse, quod dedit, et iuste non dedisse, quod non dedit.* Nam quemadmodum *ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex divino munere causa fit standi*⁴ atque perseverandi.

Quod dicitur, *quia non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum*⁵, et superius iam diximus, et ex verbis Prosperei breviter recapitulamus: Is enim, qui talia inquirit, hoc, *quod doctor gentium Paulus non audet attingere, hic se ex[istimat] reseratum posse vulgare.* Nos autem dicamus cum apostolo: *Quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire*⁶, et audiamus Dominum dicentem apostolis suis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus*^c *sancti, docentes eos servare omnia, quicumque mandavi vobis*⁷; *et ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes tribus terre, et omnes gentes magnificabunt eum*⁸, et alia multa sparsim per sanctas scripturas prolata, *quae promissiones verissimae sunt*⁹: et quicumque audit: *Accedite*^d *ad Deum, et inluminami*¹⁰,

a) iteratum c.

b) o corr.

c) spiritu c.

d) acceditte c.

1) Obiectio VI.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 200.

3) Obiectio VII.

4) Augustini Opp. vol. X. App. p. 201.

5) Obiectio VIII.

6) 1 Tim. 2, 4.

7) Matth. 28, 19. 20.

8) Gen. 28, 14 et Ps. 71, 17.

9) Augustini Opp. vol. X. App. p. 201.

10) Ps. 33, 6.

est filius promissionis huius; qui autem non vult accedere ad Deum, vel recedit a Deo¹, ut beatus Iohannes dicit, quisquis persistit in duritia, sicut ille, qui avertit a luce oculos suos, dampnum quidem luci intulit nullum, semetipsum vero tenebris condemnabit, ita et, qui per cor inpenitens contempnere se putat virtutem Dei, semetipsum alienum efficit a salute; nam salus illi parata est^a.

Quod autem dicit², malivolorum sequens sententiam et volens extenuare atque coangustare copiosam mundi redemptionem, que per Christum facta est, apud quem est misericordia et copiosa redemptio, quoniam non^b [pro] totius mundi redemptione salvator sit crucifixus³, valde^c se inde votum circa beneficia divina et ingratum ac minus amantem [in] redemptorem suum ostendit, qui dicit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*⁴; quia, qui misterium dominice passionis credendo, confitendo, sinceriter imitando aspiciunt, salvantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter et carne [contra]xerunt: quia, qui credit in Christum ea videlicet fidiae, quae per dilectionem operatur⁵, non solum perditionem evadit poenarum, sed et vitam percipit sempiternam. Et ipse dicit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*⁶ — quando enim dicit: omnis, neminem excipit, id est: *Ex quocumque statu, ut beatus dicit Ambrosius*⁷, *ex quocumque lapsu, ex quacumque vita, ex quacumque culpa qui credit in Christum, perire non timeat, sed salvari in perpetuum credat.* Tam copiosa est mors Christi, ut totum mundum redimeret, tantum ut in eum credat, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, secundum Iohannem apostolum⁸: *non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisque nostrum in mysterio sacrosanctae passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam, ut beatus et catholicus doctor Beda ortodoxe confirmat,*

^{a)} tertia pars lineae vacua relicta est.

^{b)} sequitur [post n̄] una littera [o?] erasa.

^{c)} vade c.

1) 2Joh. 9.

2) sc. Gotescalcus.

3) Obiectio IX.

4) Joh. 3, 16.

5) Gal. 5, 6.

6) Joh. 11, 25. 26.

7) Die Stelle hat sich nicht ermitteln lassen.

8) Apoc. 1, 5.

codidie tollit peccata mundi lavatque nos a peccatis nostris cotidianis in sanguine suo, cum eiusdem beate passionis in altari^a memoria replicatur, cum panis et vini^b creatura in corpus et sanguinem illius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur: sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem suam funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem¹. Et beatus Paulus dicit: *Christus pro impiis mortuus est*², iustus pro iniustis, et: *Omnes enim peccaverunt*³; et si omnes peccaverunt et Christus pro omni[bus]^c mortuus est, non debuisset dicere, quia Christus pro totius mundi redemptione passus non fuerit: quia, qui in illius incarnationem et passionem non credunt, nec ad eum fide accedunt vel per infidelitatem a fide recedunt et sacramenta passionis illius aut non sumunt, quia non credunt, aut indigne accipiunt in iudicium suum, sicut docet apostolus⁴; quia ea, ut debuerant, non reverentur^d neque discernunt et ideo se ad illa digne sumenda non preparant, non minoratur copiositas dominice passionis, nec extenuatur pretium nostre redempcionis; sed illis imputabitur, qui potius elegerunt mortem, quam vitam, qui noluerunt credere et sumere vitam, cum Dominus dicat: *Si quis non manducaverit carnem filii hominis et biberit eius sanguinem, non habebit vitam*⁵, quia ego sum resurrectio et vita⁶. Et beatus Prosper dicit: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo, domino nostro, suscepta non fuerit, quamvis ille natus sit*^e *in similitudine carnis peccati, omnis autem homo nascatur*^f *in carne peccati. Deus ergo, Dei filius humane particeps naturae factus absque peccato, hoc peccatoribus et mortalibus contulit, ut, qui nativitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati et mortis evaderent, si in eodem spiritu, de quo ortus est Dominus, renascantur et ei in baptismo conmoriantur et conseptiantur, ut in virtute eius resurrectionis*

a) alteri c.

b) una c.

c) sequuntur post omni duae fere litterae erasae.

d) revertentur c.

e) fit c.

f) nascitur c.

1) Bedae Homiliae hiemales de sanctis: in epiphania Domini Bedae Opp. (Colon. 1688) vol. VII, p. 320.

2) Rom. 5, 6.

3) Rom. 3, 23.

4) 1 Kor. 11, 29.

5) Joh. 6, 54.

6) Joh. 11, 25.

*consortium habere mereantur*¹. Quod autem dicit Gotescalcus^a, Dominum dixisse^b: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*² — sic discrete Deum locutum fuisse, ut pro multis diceret, non pro omnibus, male intellexit, quoniam^c et Iudas inter apostolos erat et cum apostolis audivit: qui pro vobis [funde]tur; qui et sacramenta redemptionis cum eis suscepit et sua nequitia diabolo consentiens post perceptionem sacramentorum plenius perditus fuit. Qua de re sicut indiscrete Dominus omnibus apostolis, quantum ex se fuit, sacramenta corporis et sanguinis sui ad salvationem, non ad perditionem dedit, et ille unus se a virtute salvationis sacramentorum secernere decrevit, ita et sine exceptione: pro multis dixit, non quasi aliquos exinde vellet et aliquos non vellet redimere, qui dixit in alio sancti evangelii loco: *Et panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita*³. Et Gotescalcus^d, qui discretionem in hoc loco inter mundum et mundum facit, ut mundus sit, qui redimatur in electis, et mundus, qui non redimatur in ad mortem praedestinatis, non sincere dicit, quia, si omnes non redimuntur dominica passione, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis domini nostri Iesu Christi, sicut beatus Prosper confirmat, *praetium totius sit mundi; a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi*. Sed non ob hoc excidit verbum Dei, neque evacuata est mundi redemptio⁴, quoniam Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere⁵, secundum apostolum. Et ipse dicit: *Venit enim filius hominis quaerere et salvare, quod perierat*⁶. Si, quod perierat, venit salvare, dicat Gotescalcus^e, quis non periit in primo parente perduto? et qui ex asse vult intellegere inscrutabilia Dei iuditia et non vult, ut Christus sit pro omnibus mortuus, sed pro [eis tan]tum, qui salvantur, reprehendat Paulum, qui dicit: *Et peri[bis] in tua scientia, frater, pro quo*

- a) g c.
- b) dilexisse c.
- c) am c.
- d) g c.
- e) g c.

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 202.

2) Luk. 22, 20; Matth. 26, 28.

3) Joh. 6, 52.

4) Augustini Opp. vol. X. App. p. 206.

5) 1 Tim. 1, 15.

6) Luk. 19, 10; Matth. 18, 11.

*Christus mortuus est*¹. In cuius sententiae expositione beatus dicit Ambrosius: *Et tu eris occasio mortis fratris, quem Christus ut redimeret, crucifigi se permisit*². Et beatus Prosper dicit: *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est*³, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit^c, verum et potens ac singularē remedium est mors filii Dei, domini nostri Iesu Christi, qui, liber a mortis debito et solus absque^d peccato, pro peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus. Quod ergo ad magnitudinem et potentiam praetii^e, et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt aut post redemptionem ad ea, que abrenuntiaverant, sunt reversi et in diaboli servitute deligunt permanere, redemptione sunt alieni. Cum itaque propter unam omnium naturam et unam omnium causam, a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti, redemptionis proprietas sine dubio paenes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras: et iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi, cuius mors ita impensa est humano generi, ut, quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singularē sacramentum celebretur in singulis. Sicut enim peritissimi medici in confectione antidotorum dicunt antidotum, quod^f facit ad omnes infirmitates, ex quo non solum presentes curantur, sed ne futurae proveniant [ele]vantur; unde, qui sibi propinatum poculum sumere renuit, salvari non potest: similiter et poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prospicit; sed, si non bibitur, non medetur^g. Ergo quantum attinet ad benignitatem^g redemptoris et ad magnitudinem ac potentiam

a) e c.

b) natura est in loco raso.

c) inoletat c; ta in loco raso.

d) abque c.

e) praevi c.

f) qui c.

g) post e una littera erasa.

1) 1 Kor. 8, 11.

2) Commentaria in epistolam ad Corinthios primam: Ambrosii Opp. (ed. Maur.) vol. II. App. p. 140.

3) Prosperi Aquitani pro Augustini doctrina responsiones ad capitula obiectionum Vicentianarum: Augustini Opp. vol. X. App. p. 208.

pretii atque ad copiositatem redemptionis, Christus pro omnibus mortuus est, qui omnes homines vult salvari; pro quibus, id est pro omnibus hominibus apostolus Domino iubet supplicare, quoniam cognovit, secundum prophetam David, omnibus misericordiam illum velle imperari, sicut scriptum est: *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis et multe misericordiae omnibus invocantibus te*¹; *et prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate*²; *et loquetur Dominus pacem in plebem suam et super sanctos suos, et similiter loquetur pacem in eos, qui convertuntur ad cor*³. Sed quia nolentes converti ad cor et Dominum invocare in veritate detractantes multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus dampnetur, inculpabilis Dei iustitia est; ut autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est⁴.

De gratia vero et libero arbitrio, quae Gotescalcus^b similiter ut prescientiam et predestinationem confundit, haec lucida ac^c chatolica seu brevis atque sufficiens sancti Gregorii expositio et discretio breviter excerpta ad intelligendum et ad gratiam seu libertatem arbitrii discernendam sufficiat. Ait enim: *Nemo quippe, ut divina illum gratia subsequatur, prius] aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando prevenimus, ubi est, quod propheta ait: Misericordia eius preueniet me?*⁴ *Si quid nos bone^d operationis egimus, ut eius gratiam mereremur, ubi est, quod Paulus apostolus dicit: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, [sed] Dei donum est, non ex operibus?*⁵ *Si nostra dilectio Deum preuenit, ubi est, quod Iohannes apostolus dicit: Non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*⁶; *ubi est, quod per Oseeae Dominus dicit: Diligam eos spontaneae?*⁷ *Si sine eius munere^e nostra virtute Deum sequimur, ubi est, quod per evangelium veritas protestatur dicens: Sine me nihil potestis facere?*⁸ *ubi est, quod ait: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui*

a) quarta pars lineae vacua relicta.

b) g c.

c) a c.

d) bene c.

e) munera c.

1) Ps. 85, 5.

2) Ps. 144, 18.

3) Ps. 84, 9.

4) Ps. 58, 11.

5) Eph. 2, 8, 9.

6) 1 Joh. 4, 10.

7) Osee 14, 5.

8) Joh. 15, 5.

*misit me, traxerit eum?*¹ ubi quod iterum dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?*² Si saltim dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando praevenimus, ubi, quod rursum per Paulum tam subtiliter dicitur, ut omnis de se humane mentis fidutia ab ipsa cordis radice succidatur, cum ait: *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*?³ Nemo ergo Deum meritis prevenit, ut tenere eum, quasi debitorem, possit; sed miro modo aequus omnibus conditor et quosdam preelegit et quosdam in suis reprobis moribus iuste derelinquit.

Nec tamen electis suis pietatem sine iustitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus praemitt nec rursum reprobis iustiam sine misericordia exercet, quia hic aequanimitate tolerat, quos quandoque in perpetuum dampnat. Si ergo et electi prevenientem se gratiam secuntur, et reprobi, iuxta quod merentur, accipiunt, et de misericordia inveniunt electi, quod laudent, [et de] iustitia non habent reprobi, quod accusent. Bene itaque dicitur: [Quis] ante dedit mihi, ut reddam ei?⁴ acsi aperte diceretur ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam caelestis patriae premia eterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia adspirante suspenditur.

Bonum quippe, quod agimus, et Dei est et nostrum: Dei per prevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei in aeternum gratias agimus? Rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? Quia ergo non inmerito^a gratias agimus, scimus, quod eius munere prevenimus; et rursum, quia non inmerito retributionem quaerimus, scimus, quod subsequente libero arbitrio bona elegimus, quae ageremus⁵. Et alibi⁶ dicuntur, quia ideo in oratione dominica dicimus: *Panem nostrum cotidianum da nobis [hodie]*^b — et nostrum est enim per de-

a) merito c.
b) quattuor fere litterae erasae.

1) Joh. 6, 44.

2) Joh. 15, 16.

3) 2 Kor. 3, 5.

4) Iob 41, 2.

5) Gregorii Opp. vol. I, p. 1100. 1101.

6) Ib. p. 765.

7) Luk. 11, 3

votionis ex libero arbitrio acceptionem, et accipimus illud per divinae dignationis et gratiae dationem; et in evangelio: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia*¹ — gratiam quidem beatae retributionis pro gratia ex libero arbitrio bonae operationis. Psalmista etiam dicit: *Et misericordia eius, quae intellegenda est gratia, subsequetur^a me*². Ergo gratia praevenimur, [ut] velimus; per liberum arbitrium gratiam subsequimur, ut bene [a]gamus. Gratia adiuvamur, ut bene agere possimus, quod volumus; et gratia corroboramur, ut in bono, quod per liberum arbitrium subsequendo caepimus, perseveremus; et gratiam^b subsequimur, ut et gratia beatae retributionis pro^c bonae operationis gratuita gratia remuneremur. Sed quod quidam dicunt, quia talem Deus debuerit hominem facere, ut peccare non posset per liberum arbitrium vel malum recipere nequivisset^d, nihil aliud dicunt, ut beatus dicit Hieronimus, nisi quia talem eum facere debuisse, qui necessitate et non voluntate bonus esset. Et cum Deus dicat, *fecisse hominem ad imaginem et similitudinem suam*³, isti dicunt, quia talem hominem facere debuerit, ut Deo similis non esset, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogatur, et qui omnia, quecumque vult, facit in caelo et in terra, *qui, iuxta apostolum, universa operatur iuxta consilium voluntatis suae*⁴; non quo omnia, quae in mundo fiunt, Dei voluntate et consilio peragantur — alioquin et mala Deo poterant imputari — sed quod^e universa, que faciat, consilio faciat et voluntate: quod scilicet et ratione plena sint et potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus; illi autem nullus resistere potest⁵, quin omnia, quae voluerit, faciat. Vult autem ea, quecumque sint plena rationis atque consilii, *vult, salvari omnes et in agnitionem veritatis venire*⁶; sed, quia nullus absque propria voluntate salvatur — liberi enim arbitrii sumus — vult, nos bonum velle, ut, cum voluerimus, velit in nobis et ipse

a) subsequetur c.

b) gratia c.

c) hic legitur gaitia, quod corrigendum nota quadam in margine facta significatur.

d) prima littera i ex e corr.

e) quo c.

1) Joh. 1, 16.

2) Ps. 22, 6.

3) Gen. 1, 26.

4) Eph. 1, 11.

5) Vgl Rom. 9, 19.

6) 1 Tim. 2, 4.

suum implere consilium, sicut dicit apostolus: *Secundum beneplacitum suum, quod proposuit*¹ — quod tantundem pene valet, quasi di[xis]set: quod praedestinavit, sed inter praedestinationem et propositum ducitur interesse, quod praedestinatio alicuius rei multo ante in mente eius, qui destinat, quod futurum sit, praefiguret; propositum autem, cum iam vicina sit^a machinatio et pene constitutionem sequatur effectus.

De videndo autem Deum, unde curiosae a curiosis queritur et praesumptive disputatur, et ad quod forte neglegenter preparatur, sufficiat simplicitati vestrae, immo omnium nostrum devotioni, si sufficere non potest illorum ex vana gloria procedenti curiositati, quod dominus Iesus Christus, qui locutus est per Paulum, nobis insinuat per beatum Gregorium. Ait enim: *Certe Dominus nobis post b iuditium transit, quia ab humanitatis forma in divinitatis suae contemplationem nos elevat. Et transire eius est in claritatis suae speculationem nos ducere, cum eum, quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in divinitate post iudicium videmus.* Ad iudicium quippe veniens in forma servi omnibus apparebat, quia scriptum est: *Videbunt c, in quem transfixerunt*², *sed reprobi in supplicium currunt; iusti d autem ad claritatis eius gloriam pertrahuntur, sicut scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*³. Et alibi idem aegregius doctor ait: *Corruptibiles huius carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, iudex iustus a constitutu interni sui fulgoris premit.* Sed in hortu aurore, quae est illa nova nativitas resurrectionis, sancta ecclesia etiam carne suscitata oritur [ad contemplandum lumen aeternitatis]. Sed quantalibet virtute [electi] nunc fulgeant, penetrare nequeant, quae erit illa novae nativitatis gloria, qua tunc cum carne ad contemplandum lumen aeternitatis ascendunt. Unde et Paulus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se*⁴. Et catholicus divini verbi expositor Béda dicit: *Venientem quippe in regno suo filium hominis viderunt discipuli, quia in*

a) est c; in margine nota.

b) ost c; ante erasa est una littera.

c) viderunt c.

d) isti c.

1) Eph. 1, 9.

2) Joh. 19, 37; Zach. 12, 10.

3) Jes. 26, 10: Gregorii in Evangelia liber I, homilia XIII. Opp. vol. I, p. 1482. 1483.

4) 1Kor. 2, 9: Gregorii Moralium liber IV. in caput III. beati Iob c. 45. 46. Opp. vol. I, p. 122. 123.

ea claritate viderunt fulgentem in monte, in qua peracto iudicio ab omnibus sanctis in regno suo videbitur^a; sed quod mortales adhuc et corruptibiles discipulorum oculi sufferre nequiverunt, tunc per resurrectionem iam facta^b incorruptibilis potenter intueri sufficiet omnis eclesia sanctorum. De qua scriptum est: Regem in decore suo videbunt oculi eius¹. Hanc autem glorificam dominici corporis maiestatem, hanc sanctorum corporum claritatem nullus in iudicio reproborum videre putandus est: tantum videbunt, in quem transfixerunt², et plangent se super eum omnes tribus terrae³. At cum peracto iudicio sublati fuerint impii, ne videant gloriam Dei, tunc iusti ad contemplandam perpetuo gloriam regni eius et ipsi pro modulo suo incorruptionis luce transfigurati intrabunt. Unde dicit apostolus: Qui reformabit^c corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis sua^d. Et item: Si beatus Petrus glorificatam Christi humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio, ut nullatenus ab eius intuitu velit secerni, quid putamus inesse beatitudinis eis, qui divinitatis eius altitudinem videre meruerint ipsumque civitatis, scilicet Hierusalem caelestis, artificem [et conditorem], Deum, non per speculum et in enigmate sicut nunc, sed facie ad [faciem] conspexerint?⁵ Denique superstitionis conquisitores frustra certamen suum munire existimant ex sententia evangelii, qua dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt⁶, cum nec ianuam intellectus eiusdem sententiae attigerint^d, cuius intellectus talis esse dinoscitur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: quia ipsi videre merebuntur Deum, sicuti est, secundum Iohannem apostolum⁷, in futuro saeculo, qui adiuvante gratia ipsius studuerint fieri mundo corde secundum evangelicam doctrinam in praesenti saeculo, hic eum videntes fide, tunc visuri speciae, sicut nunc lugentes et in mundo pressuram habentes⁸, tunc consolabuntur,

^{a)} videtur c.

^{b)} factam c.

^{c)} reformavit c.

^{d)} attingerint c.

1) Jes. 33, 17.

2) Joh. 19, 37.

3) Apoc. 1, 7.

4) Philipp. 3, 21: Bedae Homiliae aestivales de sanctis: in festo transfigurationis Domini. Bedae Opp. vol. VII, p. 121. 122.

5) Bedae Opp. vol. VII, p. 123.

6) Matth. 5, 8.

7) Vgl. Joh. 14.

8) Vgl. Joh. 16, 33.

et hic *mites*, illic possidebunt terram¹, de qua psalmista ait:
*Credo videre bona Domini in terra viventium*².

Haec vobis, dulcissimi filii, propter susceptam pastoralis cure sollicitudinem, carissimi fratres, propter dilectionis vestrae dulcedinem et, venerabiles domini, propter sanctitatis vestre pincipum meritum ex sanctorum patrum latissimis expositionibus^a colligere studui, commonens, ut, quando libros expositionum a catholicis doctoribus confectos et contra hereticorum argumenta disputantes legit^b, sollicite attendatis, quando quisque doctor sua verba dicit, quando tergiversatoris callidas propositiones, ut eas revincent, suis expositionibus intermischet et que intentando et quae resistendo et que percontando et quae adfirmando [quisque] vir catholicus dicit, et ne statim, ut in aliquo^c vepre^d serpentinum et lubricum insibilare auditis, perveneritis, subsistatis et mentis pedem ibi figatis, quia multiplex spiritus per artum et exile organum hominis totum una voce non profert, et homo, quod sentit, insimul dicere nequit^e, sicut nec viam itineris quis potest explicare, nisi gressibus studeat carpere. Nam etiam cum de virtutibus doctores loquuntur, sic una virtus a sancto spiritu per eos laudatur, acsi alia virtus virtuti illi comparari non possit; cum autem alia laudari incipitur, ita laudibus effertur, acsi alia laudata non fuerit. Similiter et in vitiorum abominatione agitur, ut mens nostra, quia nemo repente fit summus, pedetemptim ad emulandas virtutes provocetur et ad vitia declinanda hortetur; stantibus enim auctoritas divina minatur, ne cadant, dicens: *In quacunque die ceciderit iustus, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur*^f coram me, dicit Dominus; lapsos hortatur, ut surgant, dicens: *Gaudium est super uno peccatore poenitentiam agente*^f⁴; nondum vocatos piissimarum promissionum remuneratione invitat dicens: *Ite et vos in vineam, et quod iustum fuerit, dabo vobis*⁵, et: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*⁶; vocatos autem

a) latissimas expositiones c.

b) legis c.

c) aliqua c.

d) quępores c.

e) nequi c.

f) e erasa.

1) Matth. 5, 4.

2) Ps. 26, 13.

3) Ezech 33, 12. 13.

4) Luk. 15, 7.

5) Matth. 20, 4.

6) Matth. 11, 28.

et de vocatione praesumentes deterret dicens: *Dico vobis, quoniam nemo virorum illorum, qui vocati^a sunt, gustabit cenam meam*¹, et: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*²: qua sententia docet, unumquemque nec de se presumere, nec alium, dum in ac vita est, quantislibet malis sit coopertus, desperare debere^b, sed quemcumque cum timore et tremore salutem suam operari^c, ut et, *qui gloriatur, in Domino glorietur*⁴; sed et cum dicit: *Erunt primi novissimi et novissimi pri[mi]*⁵, docet, unumquemque non de temporis aut servitutis suae longinquitate in servitio divino confidere nec de pravitate^e temporis cum fidei devotione in divina servitute diffidere.

Similiter et quę [de] praescientia divina scriptura docet sparsim per sanctas paginas, fidelis intellectus debet discernere et, quae ex praedestinatione commendantur, debet fideliter intellegere, quia cuncta simul, ut in divina scientia habentur, vox fragilitatis humanę non valet depromere^d. Et propterea catholicus sensus non debet, quae dispertite dicta sunt, in sua confusione confundere. Unde, quia maxime^e sepefatus frater Gotes-calcus^f ex predestinationis et praescientiae confusione venena sua usquequaque diffudit, iterum breviter replicabo, quae latius in superioribus colligere studui, quia illa melius saepe retinentur, quae posterius audiuntur. Quia Deus bonorum auctor est, non malorum, praedestinatio Dei semper in bono est: aut ad retributionem iustitiae aut ad donationem pertinens gratię. Praescientia autem Dei in bonis et in malis intellegenda est, quia prescit Deus mala, quae futura sunt, non autem praedestinat. Bona vero et prescrit et praedestinat, et predestinata perficit et gratia sua remunerat. Et prescientia potest esse sine predestinatione; predestinatio autem sine praescientia esse non potest, quia, que ex Dei munere habemus: et que praescita dicuntur, non possunt non esse praedestinata, et quę predestinata appellantur, non possunt non esse praescita; quia bona, quę ipse fecit et, ut faceremus, dedit, et praescivit et predestinavit; in malis autem vel

^{a)} qui voca: in loco raso.

^{b)} de iteratum.

^{c)} pravita e.

^{d)} depromerere e.

^{e)} maxima e.; in margine nota.

^{f)} g e.

1) Luk. 14, 24.

2) Matth. 20, 16.

3) Vgl. Philipp. 2, 12.

4) 2Kor. 10, 17.

5) Matth. 19, 30; Mark. 10, 31.

nostris vel diaboli operibus sola [prae]scientia Dei intellegenda est sine praedestinatione, quia, que nec ipse fecit nec, ut faceremus, exegit, prescivit tantum, non etiam praedestinavit. Quia *predestinatio*, sicut beatus Augustinus dicit, *a premittendo et praeveniendo vel praeordinando futurum aliquid dicitur*. Et ideo Deus, cui *praescientia non accidens, sed essentia fuit semper et est, quicquid, antequam sit, praescit, praedestinat, et propterea predestinat, quia, quale^a futurum sit, praescit*. *Mala enim tantum prescrit, bona vero et prescrit et praedestinat*¹. Et ^b alibi idem dicit: *Praedestinatio est gratiae preparatio, et gratia est ipsa vitae donatio, id est praedestinationis effectus*². Et homo, sicut longe superius diximus, non est factus neque praedestinatus a Deo, ut iret in ignem aeternum, neque ignis aeternus factus est propter hominem, sed propter diabolum, sicut dicit Dominus in evangelio: *qui preparatus est diabolo et angelis eius*³; homo autem factus est, ut oboediret Deo et permanens in oboedientia iret ad regnum aeternum, et regnum aeternum preparatum est homini *a constitutione mundi*⁴. Sed postquam homo peccavit, magis credens et oboediens diaboli suggestioni, quam Dei promissioni et preceptioni, et filios natura iræ et perditionis ex se genuit, prescivit Deus omnisciente pre-scientia sua et praedestinavit gratuita misericordia sua, qui ex eis usque in finem saeculi perventuri sint ad regnum aeternum, et quibus gratia sua daturus^c sit illud ipsum regnum aeternum, quod et eis praedestinavit ab origine mundi. Praescivit autem tantum, non praedestinavit, qui ex eo generati, similiter natura filii irae et perditionis, aut fidem non essent suscepturi neque sacramenta redemptionis percepturi aut post percepcionem eorumdem sacramentorum ad infidelitatem atque apostasiam reddituri et per mala opera et cor inpenitens diabolo propria voluntate per libertatem arbitrii usque ad finem vitæ adhesuri et in ignem aeternum cum diabolo, cui adhærere usque in finem elegant, perituri. Ad quem ignem eos ituros cum diabolo, cui servire sine retractatione vel retractione elegerant, eos Deus prescivit, non praedestinavit, quia nec propter eos illum ipsum ignem, sicut sepe diximus, fecit, quasi eos praedestinasset ad ignem secundum pro-

^{a)} qualem c.

^{b)} e c.

^{c)} daturis c.

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 43.

2) De praedestinatione sanctorum liber: Augustini Opp. vol. X, p. 803.

3) Matth. 25, 41.

4) Matth. 25, 34.

positum voluntatis sua: mala esset boni Dei voluntas, quod fieri non potest; et ipsi aliter agere non possent^a, nisi sicut predestinati ad ignem, id est: malis operibus usque in finem inservirent, quibus ignis sine fine debetur; et iniuste ageret Deus iustus, qui eos puniret, quos tales fecerat, qui boni esse non possent, ac perinde ad opus mortis ipse, quos creaverat, precipitaret. Sed absit hoc a divino proposito; non enim volens iniquitatem est Deus nec mandavit cuiquam impie agere, sicut scriptura dicit: *Nec alicui dedit laxamentum peccandi*¹; *fecit enim, ut essent omnia, et sanabiles nationes orbis terrarum*². Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Et ipse Dominus dicit: *Nolo mortem peccatoris*³, et in evangelio ad quosdam: *Sic et vos peribitis, inquit, nisi poenitentiam egeritis*⁴ — quapropter non perirent, si poenitentiam agerent^b — et^c item: *Poenitentiam agite, omnibus clamat, appropinquavit enim regnum caelorum*⁵, et: *Regnum celorum vim patitur et violenti rapiunt illud*⁶; et Paulus: *Et lugeam multos, qui ante peccaverunt et non egerunt poenitentiam*⁷, et multa alia; cum etiam, videlicet omnium Domino, a sancta scriptura dicitur: *Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti, dissimilans peccata hominum propter poenitentiam et parcens illis, quia tu es dominus Deus*⁸. Unde, sicut et ex aliis multis sanctorum scripturarum exemplis, intellegendum est, quia non est homo praedestinatus, sed prescitus ad poenam; poena autem et prescita est et praedestinata illis, qui malis operibus vacant et in eis perseverantes vitam finiunt, sicut et beatus Augustinus in libro de praedestinatione dicit: *Audi, inquiens, Petrum apostolum, cum futuros esse pseudoprophetas et magistros mendaces*⁹ et *apostatas in ecclesia dicit, sicut fuerunt in populo*

^{a)} possunt c.

^{b)} aegerent c.

^{c)} e c.

^{d)} appropinquabit c.

^{e)} ut c.

^{f)} corr. ex futurum.

1) Ecclesiasticus 15, 21.

2) Sap. 1, 14.

3) Ezech. 18, 32. 33, 17

4) Luk. 13, 3 (5).

5) Matth. 4, 17.

6) Matth. 11, 12.

7) 2Kor. 12, 21.

8) Sap. 11, 24—27.

9) 2Petr. 2, 1.

veteri, quibus iuditium, inquit, iam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat¹. Item Iudas apostolus: Subintroierunt, ait, quidam homines, qui olim prescripti sunt in hoc iudicium, impii, gratiam Domini nostri transferentes in luxuriam et solum dominatorem et dominum Iesum Christum negantes². Et Dominus in evangelio [peccatoribus]: Ite in ignem aeternum, quem praeparavit pater meus diabolo et angelis eius³; praedestinatis autem: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi⁴, id est praedestinatum. Teneenda est igitur inconcussa huius disputationis ratio, que testimoniis claret scripturarum: peccatores in malis propriis antea, quam essent in mundo, praescitos esse tantum, non praedestinatos; poenam autem eis esse praedestinatam, secundum quod praesciti sunt⁵. Et male intellexit Gotescalcus^a, quod vult facere in hoc loco differentiam, quasi Augustinus tantum dixisset: in malis propriis peccatores Deum prescisse, non praedestinassem, et intellexisse illum peccatores ad poenam praedestinatos, quia dixit, eis poenam praedestinatam fuisse, quasi tantundem — si ita dixisset, non valeret — dixisse eum praedestinatos ad poenam, ut redire gratia Dei per poenitentiam non possint ad vitam, quam praedestinatos in propriis malis, quibus poena debetur, ut pereant. Quam commentationem tergiversatoris cavete, et hoc vobis sufficiat, quod catholici doctores exponunt, quia electi ad regnum aeternum et presciti sunt et praedestinati, et regnum illis^b aeternum est et prescitur et praedestinatum; reprobi autem presciti sunt tantum, non praedestinati et in malis propriis futuri et ad poenam pro eisdem malis operibus ituri: poena autem eis est praedestinata pro malis illorum operibus, in quibus praesciti sunt tantum, non praedestinati perseveraturi, quia praedestinavit Deus, quod divina equitas redderet, non quod humana^c iniquitas admisisset^d.

Et ut ad erudiendam simplicitatem vestram non loquamur nimium, si tantum est necessarium, interrogandus est quilibet praescientiae et praedestinationis disputator, quid sit vel quam ethimologiam habeat praescientia vel praedestinatio. Sine dubio,

^{a)} g. c.

^{b)} illius c.

^{c)} humani c.

^{d)} admisisset c.

1) 2 Petr. 2, 3.

2) Jud. 4.

3) Matth. 25, 41.

4) Matth. 25, 34.

5) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

si legit sanctos auctores et aliquid habet intellegentiae, debet respondere: Praesentia est præcognoscens, quod antescitur, quid^a eveniat, vel, quam fiat, quod scitur; *praedestinatio autem est*, sicut sanctus Augustinus dicit, *præordinatio vel gratiae præparatio*¹, id est, sicut apostolus dicit²: Electos prædestinavit Deus ad gloriam^b et præparavit illos, id est preordinavit in fide, in bonis operibus, ut per illa ad gratiam remunerationis pervenirent, sicut scriptum est: *que preparavit Deus*, scilicet bona opera, *ut in illis ambulemus*³: haec est *praedestinatio*. Post predestinationem autem et *præordinationem* vel *preparationem Dei*, quæ est secundum propositum bonae voluntatis suae, nihil aliud sequitur, nisi *praedestinationis effectus*, id est *gratia*, quæ est ipsa vitae donatio. Nam recordari potestis, quia, sicut superius beatus dixit Hieronimus, prudentes hanc differentiam dicunt inter *praedestinationem* et *propositum*, quia *prædestinatio præcedit propositum*; *propositum autem iam in vicinitate est effectus rei praedestinate atque propositæ*, sicut et intellegere ex dictis beati apostoli possumus, cum dicit⁴: Qui *prædestinavit*, id est preelegit nos ante mundi constitutionem, et alibi: *Quæ preparavit*, scilicet bona opera, *ut in illis ambulemus*⁵ secundum *propositum voluntatis suae*⁶; quod *propositum gratia* sequitur retributionis pro *gratia* bonæ operationis, et hoc est *praedestinationis effectus*, id est, ut diximus, ipsa vitae donatio. Redeamus ergo ad illum, qui dicit, *praedestinationem esse reproborum ad mortem*, et videamus, si possumus dicere: *prædestinatio est præordinatio vel ire præparatio*. Non iram Dei vindictam in scripturis sanctis intellegimus, quia in inpassibilem ipsius naturam passibilitas non potest cadere. Scriptum est enim: *Ira in indignatione eius*⁷, id est vindicta, sicut: *Et vita in voluntate eius*⁷, id est vita donatio in misericordia gratiae eius. *Praeparationem namque irae*, id est predestinationem ad mortem nihil aliud subsequi potest, nisi ipsius *prædestinationis ad mortem effectus*, id est ipsius ire donatio, id est ignis aeternus, sicut vite donatio regnum intellegitur sempiternum. Ac per hoc necesse erit, ut *prædestinatum ad mortem aeternam preparaverit*

a) quod c.; in margine nota.
b) glarium c.

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 43 (cf. ibid. p. 803).

2) Vgl. Rom. 8, 30.

3) Eph. 2, 10.

4) Vgl. 1 Kor. 2, 7.

5) Eph. 2, 10.

6) Eph. 1, 11.

7) Ps. 29, 6.

Deus in operibus malis, in quibus ambulans secundum propositum voluntatis suae remuneretur ira, id est ipsius ad malum praedestinationis effectu. Sed absit hoc a bono et benigno divino proposito^a, quia Deus malum non fecit, quoniam malum nec est nec subsistit, quia nec substantiam habet nec substantia est nec ex Deo^b est, sed a diabolo inventus est morbus boni in bona creatura Dei, quia, sicut scriptum est, *omnia opera Dei erant bona valde*¹, et homo bonus a Deo factus, sed a diabolo per malum inmorbatus, sicut per prophetam Dominus dicit²: Peccata separant inter me et vos, id est morbus sanitatis. Quapropter, si tollitur morbus gratia medici et oboedientia egroti, ut omnia, quae medicus proposuerit, oboedienter suscipiat, recepta sanitatem aegrotus letabitur, cum ei semper propinquus sanissimus et sanitatem donans et morbum auferens aderit medicus. Nam medicinam egroto proposuit medicus, dicens per psalmistam: *Israhel, si me audieris, non erit in te Deus recens*³, et: *Si populus meus audisset me Israhel, si in viis meis ambulasset, pro nihilo inimicos eorum humiliassem et super tribulantes eos misissem manum meam*⁴, id est: non solum morbos venenosos auferrem^d, verum etiam et veneficos, invenenatos sanans, tribularem et, qui superiores fuerant, humiliarem. *Sed non audivit populus meus vocem meam et Israhel non intendit mihi; et dimisi eos secundum disideria cordis eorum, ut irent in ad-inventionibus*^e *suis*⁵: dimittere enim nihil aliud est, nisi per gratiam non liberare, quia neminem Deus dimittit, antequam dimitatur, nec deserit, antequam deseratur, et neminem in temptationem inducit, id est induci patitur, nisi eum, qui se ab illo antea abducit^f, sicut Adam, qui fugit ab eo et abscondit^g se; qui si vocatus se recognovisset, fuga illa non usquequa ei nocuisse. Qua de [re] praescientiae et praedestinationis confusor, cum legit in quibusdam codicibus, preparatum populum ad luendas poenas, non vult differentiam facere, quid sit a Deo preparatum, quid a diabolo, quid a propria hominis iniquitate. Non de Pharaone, sicut su-

a) propositum c.

b) iteratum: neque ex Deo.

c) mississem c.

d) auferem c.; em in loco raso.

e) adventionibus c.; in margine nota.

f) adducit c.

g) post abs spatium septem fere litterarum vacuum relictum.

1) Gen. 1, 31.

2) Vgl. Sap. 1, 3.

3) Ps. 80, 9. 10.

4) Ps. 80, 14. 15.

5) Ps. 80, 12. 13.

perius diximus, scriptum est: *Ego indurabo cor Pharaonis*¹; prins enim dicitur: *Ad hoc excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam*², et non dictum est: *Obduravi te*; postea scriptum est: *Ego indurabo cor Pharaonis*, propter praecedentia videlicet peccata, sicut et tradidit illos Deus in reprobum sensum secundum apostolum, quia noluerunt Deum habere in notitia^a³ et, cum cognovissent^b Deum, non sicut Deum glorificaverunt: inde subsequitur: *Induravit Pharao cor suum, magna vi^c scilicet iniquitatis suae*; postea subsequitur: *Induratum est cor Pharaonis*⁴, et non dictum est a quo. Quod prudens lector facile poterit intellegere; similiter, ubi scriptum est, preparatum aliquem ad iram, non est intellegendum, ut Deus eum praedestinaverit ad ignem, quem non fecit propter hominem, sed, sicut saepe dictum est, propter diabolum: quia, si eum ad ignem praedestinasset, necesse erat, ut illum in malis operibus prepararet, quibus, sicut dictum est, ignis debetur; sicut electos et ad vitam praedestinatos praeparavit in operibus bonis, in quibus ambulantes effectum predestinationis, id est gratiam et vitae donationem percipient. Sed ista praeparatio, unde dictus est aliquis praeparatus ad poenam, non sequitur Dei, quae est ante saecula in electis suis, predestinationem, sed eius, quae est in reprobis, praescientiam, quia Deus praescivit reprobum quemlibet malum futurum, et ipse diabolo consentiens se praeparavit, ut iret ad poenam sibi propter sua mala opera, in quibus perseverare deliberavit, preparatam^d. Unde, sicut apostolus dicit^e, quia per ea, que facta sunt visibilia, invisibilia cognoscuntur, ex parvis magna coniciamus et dicamus verbi gratia: *Quia rex aliquis potentissimus et iudex iustissimus habuit servum aliquem, quem multipliciter fecerat gloriosum*; isdem contra eum superbiens evasit sceleratissimus ac male agens seu errans et alios in errorem inducens et sceleratus alios sceleratos efficiens. *Qua de re praeparavit idem rex potentissimus et iudex iustissimus carcerem inenarrabiliter poenalem, in quem deputavit illum maledictum et nequissimum servum*. Et quoniam scivit multos servorum suorum infectos^e nequitia

^{a)} notitiam c.

^{b)} cognoviscent c.

^{c)} vim c.

^{d)} preparatum c.

^{e)} imperfectos c.

1) Exod. 4, 21.

2) Rom. 9, 17.

3) Rom. 1, 28.

4) Exod. 7, 13.

5) Vgl. Hebr. 11, 3.

illius et futuros, qui audituri et imitaturi^a essent mala illius, servavit carcerem illum, ad hoc praeparatum, ut, quicumque essent vel futuri essent imitatores mali servi illius et ex parte illius esse deligerent, si ad meliora, illo videlicet domino hortante et bona eis proponente, nollent redire, simul cum illo, propter quem carcer factus est, praecipitarentur ad poenam. Et Dominus dicit: *Dum es in via cum adversario tuo, concorda cum eo, ne forte adversarius tradat te iudici, et^b iudex tradat te exactori, et exactor mittat te^c in carcerem: et non exies^d inde, donec reddas novissimum quadrantem*¹. Adversarius noster est sermo Dei, qui increpat mala, quae facimus, et praedicit, nisi conversi fuerimus, mala, quae passuri sumus. Cuius predicationi in passione malorum si concordari nolumus — sustinendo concordemur, bona, que iubet, operando et a malis nos convertendo — quae^e si non fecerimus, tradet nos iudici Christo, et iudex exactori, id est cuilibet angelicae^f potestati^g ad hoc ministerium deputate, et ille exactor mittet traditum sibi in carcerem, id est, quem possedit^h per infidelitatem et mala opera sine conversione in isto saeculo, sotiaabit sibi in futura perditione iustitiae diiudicacione, et non exiet inde, quisquis cum illo intrabit in aeternam perditionem; sicut letabitur sine fine, quisquis fideliter Deo in isto saeculo adherens remunerari meruerit gratia, id est praedestinationis effectu, vitae scilicet aeterne donatione.

Et superadiciendum, ut facilius intellegatis et tergiversationem pravi expositoris et aethimologiam praedestinationis, in qua posuit sanctus Augustinus nomen preparationis: Scitote, quia illud nomen, quod estⁱ praeparatio, vel illud verbum, quod est praeparavit, licet per translationem aliquam possit habere vicinitatem, non semper ex eo verbo vel nomine dirivari debet intelligi. Unde beatus Augustinus dixit: *Praedestinatio est praordinatio vel praeparatio*², quia multa verba sunt in scripturis, quae secundum qualitatem adiacentie capiunt vel proferunt signi-

- ^{a)} immitaturi c.
- ^{b)} iuditie c.
- ^{c)} mittatur c.
- ^{d)} exies c.
- ^{e)} quia c.
- ^{f)} angelici c.
- ^{g)} i ex e corr.
- ^{h)} corr. ex possidet.
- ⁱ⁾ iteratum.

1) Matth. 5, 25. 26.

2) Augustini Opp. vol. X. App. p. 43 (cf. ibid. p. 803: *praedestinatio est gratiae praeparatio*).

ficationem intellegentie. Nam de hoc ipso verbo, unde res agitur, scriptum est in libro regum: *Praeparate corda vestra Domino*¹, et in psalmis: *Praeparationem cordis eorum audivit auris tua*², et de eclesia in Apocalypsi: *Praeparavit se uxor agni*³, et in evangelio secundum Lucam: *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui et non praeparavit et non fecit secundum voluntatem illius, vapulabit multis*⁴, et alia plurima, quae longum est enumerare. Sed iste magnus pertinacia et minimus sensu orator non habuit, nisi unum oculum mentis in verborum intellegentia, ut capere potuisse, qualiter verbum praeparavit in dictis beati^a Augustini^b atque Fulgentii intellegere debuisse. De cuius libris^c, scilicet beati Fulgentii, hic exempla posuisset, nisi, ut beati Augustini expositor, ei per omnia concordasset. Sic enim debuerat intellegere: praeparavit in libris a beato Fulgentio conscriptis in eo loco, ubi dictum est: *quos iuste praeparavit, quin Deus sua praescientia, ad luenda supplicia, nec tamen praedestinavit ad facienda peccata*⁵, sicut dicitur ab apostolo: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*⁶, quod contigit de poena peccati illorum, propter præcedentia videlicet ab illis commissa peccata, non propter prædestinationem Dei dispositam in electis suis tantum, non in reprobis ante saecula sempiterna, licet in antiquis et authenticis exemplaribus invenerimus: praescivit, non praeparavit a^d Fulgentio dictum. Sed nolumus subterfugere, quasi per auctoritatem illi non valeamus respondere; in hoc namque loco, ubi dicit apostolus: *Deus illos tradidit*, sic accipiendo est tradidit: gratia per prædestinationem misericorditer non eripuit, sed praescientia^e sua iuste in reprobo sensu deseruit. Et quod dicit Fulgentius: *quos ad luendas poenas praeparavit*, similiter intellegendum est, quia gratia per prædestinationem a poenis, sibi propter sua mala opera praeparatis, misericorditer non liberavit, sed in præparatione proprie perditionis, ad quam prædestinati non sunt, prescientia sua iuste dereliquit. Et notandum, quia, ne locum adhaerendi perversi quique sacrorum

- ^{a)} beni c.
- ^{b)} augustinus c.
- ^{c)} libri c.
- ^{d)} ad c.
- ^{e)} praescia c.

1) 1 Reg. 7, 3.

2) Ps. 9, 17.

3) Apoc. 19, 7.

4) Luk. 12, 47.

5) Fulgentii de veritate prædestinationis lib. III, c. V. Migne, Patrologiae latinae tom. LXV, p. 656.

6) Rom. 1, 28.

verborum intellectores invenirent, nihil huius modi posuit beatus Augustinus in libro *Iopognosticon*^a, in quo de predestinatione reprehensoribus suis respondit, sicut Fulgentius sano sensu bene intelligentibus *praeparavit ad luendas poenas* in libro suo scripsit. Sed non est mirum, si *veneficus* etiam saporem melleum mortifero veneno commiscet; nam ista *praeparatio* intellegenda est a iusto et divino iudice, iuxta quam sibi quisque pro malis meritis suis *praeparavit* *desertio*, sicut et obdurare cor inpenitens Deus dicitur, non emollire, et sicut intellegendum est in *evangelio*, quod dictum est a Domino Iude: *Quod facis, fac citius*¹, non ut ipse iuberet, quod ipse agere nollet et propter imperium suum, qui dominus omnium est, dimittere non posset, sed permisit, eum ut transiret in affectum cordis, quatinus diabolus, qui cor illius post *acceptationem buccellę plenius possedit*, derelinquentे eum Domino, qui ab ipso prius derelictus fuerat, per illum, quod vellet, ageret, qui antea illius ipsius cor ad tradendum sanguinem iustum suasione nequissima instigarat. Sed Dominus, natura pius et fons bonitatis et pietatis origo, nec in traditione sua, ad traditorem suum dicens: *Iuda, osculo filium hominis tradis*²? oblitus fuerat, quod dixerat per prophetam: *Nolo mortem peccatoris*³, et ideo inter osculandum benignissime eum est allocutus, quia secundum apostolum *omnes homines vult salvari*⁴; *praescivit* tamen illum peritum, quem neverat non esse de numero praedestinatorum. De quo dante exemplum beato Augustino, male abusus est Gotescalcus subsequente sententia, quam idem doctor discretissimus subiunxit dicens: *Talis est autem periturorum omnium causa, licet culpa sit a culpa dissimilis*⁵, volens per eam suam stabilire perfidiam, ut homines a Deo sint ad mortem praedestinati aeternam: cum manifestissime et in precedentibus et in subsequentibus, sicut evidentissime quilibet regens librum illius potest cognoscere, praescitum Iudam dicat in malis suis, non praedestinatum, et praescitum illum esse ad poenam pro eisdem malis suis, non praedestinatum; prescitam autem illi esse et praedestinatam poenam pro malis suis. Unde et mox, cum dicit: *Talis ergo est periturorum omnium causa, licet culpa a culpa dissimilis*, subinfret c.^b: *Verum autem esse,*

a) *ipopgnosticon* c.

b) *subinfret* c.

1) Joh. 13, 27.

2) Luk. 22, 48.

3) Ezech. 18, 32.

4) 1 Tim. 2, 4.

5) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

*quod^a diximus, licet plene sit disputatum, id est perituris poenam esse praedestinatam¹, et paulo superius, antequam eandem sententiam promeret, ait: *Nemo periit, nisi filius perditionis²; nam poenam illi, videlicet Iudei, praedestinatam pro malis suis, in quibus, ut saepe dixi, praescitus est tantum, non praedestinatus, et quod dampnatus sit, antequam natus, secundum id quod disputatione^b praediximus³:* disputavit enim multoties, quia praescientia dampnatus est, non praedestinatione, et ceteros similiter a gratia alienos, ut superius scripsimus, dixit: *Deum praescisse tantum, vitio proprio perituros, non, ut perirent, praedestinasse⁴.* Hanc discretionem praescientiae et praedestinationis confusor in verbis sancti eloquii^c custodire debuerat: et fidelis servus et prudens, dare conservis suis in tempore tritici mensuram⁵, ne, cisternam aperiens, bos vel asinus in foream ab illo apertam rueret, et ipse pretium reddere cogeretur⁶. Vos autem, fratres mei dilectissimi, in sermonis fine attendite, quod Salomon sapientissimus omnibus clamat dicens: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time et mandata eius custodi; hoc est enim omnis homo⁷* — id est: ad hoc factus omnis homo, propter quem factus est homo, qui cum benedicto Deo, patre suo, vivit et regnat in unitate spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Gotescalcum propter incorrigibilem obstinationem illius in sy[n]odo^d apud Carisiacum habita a duodecim episcopis ecclesiastico vigore prolata.

Frater Gotescalc, sacrosanctum sacerdotalis misterii officium, quod irregulariter usurasti et in cunctis moribus ac pravis actibus atque perversis doctrinis eo hactenus abuti non pertinuisti, iudicio spiritus sancti^e, cuius gratiae munus est sacerdotale officium per virtutem sanguinis domini nostri Iesu Christi, neveris, tibi esse, si quoquomodo suscepisti, sublatum et, ne ulterius eo fungi presumas, perpetuo interdictum; insuper, quia

^{a)} cum c.
^{b)} disputationem c.
^{c)} eloqui c.
^{d)} n erasa.
^{e)} i ex s corr.

1) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

2) Joh. 17, 12.

3) Augustini Opp. vol. X. App. p. 46.

4) Ibid. p. 45.

5) Luk. 12, 42.

6) Exod. 21, 33. 34.

7) Ecclesiastes 12, 13.

et ecclesiastica et civilia negocia contra propositum et nomen monachi conturbare, contempnens iura ecclesiastica, praesumpsisti, durissimis verberibus te castigari et secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate episcopali decernimus et, ut de cetero doctrinale tibi officium usurpare non presumas, perpetuum silentium ori tuo virtute aeterni verbi imponimus¹.

Hanc autem dampnationis illius sententiam ideo opusculo subnectere procuravimus, ut similem vel in presenti vel in futuro saeculo dampnationem timentes, qui ei aliquo modo conniventiam^a prebuistis, quantotius vos corrigere studeatis et de cetero cum omnibus, ad quorum aures loetales illius sibili pervenerint, huismodi perversam doctrinam respuere, deserere ac praecavere curretis.

Nachtrag.

Im Verfolg meiner Bemerkungen über „sacri“ bzw. „sancti canones“ in der ersten Schrift Hinkmar's (vgl. oben S. 144), weise ich hier darauf hin, dass man in der zweiten Schrift — wie mir von der Verwaltung der Königlichen Universitäts-Bibliothek zu Leyden freundlichst bestätigt worden ist — neben „sacras scripturas“ (z. B. S. 261) auch „sanctas scripturas“ (z. B. S. 264) liest; da es nun wenig wahrscheinlich ist, dass bei einer so häufigen Bezeichnung zwei verschiedene Adjectiva angewendet worden sind, so dürfte damit die oben (S. 144) angedeutete Vermutung erhärtet werden: es wird zwar jetzt als eine paläographische Regel überall beherzigt, dass sc lediglich den Stamm des Wortes „sanctus“ angiebt, während „sacer“ mit seinen Formen immer ausgeschrieben verlangt wird; aber wer bürgt denn dafür, dass der Schreiber der hier abgedruckten Handschrift auch nach dieser Regel verfahren ist und nicht in seiner Vorlage sci etc. bisweilen zu „sacri“ etc. aufgelöst hat! Wo ich mich also auch eines Eingriffs in den überlieferten Wortlaut enthalten und „sacri“ etc. aufgenommen habe, will ich

^{a)} conhibentiam c.

1) Mansi, Conc. vol. XIV, p. 921.

darum doch nicht zugestehen, dass dieses Wort als unantastbar anzusehen ist.

Auf zwei Stellen der ersten Schrift noch besonders einzugehen, verpflichten mich die Berichtigungen, welche Herr Professor Wattenbach die Güte hatte mir zukommen zu lassen:

S. 102, Z. 5 heisst es — nachdem von der „*fidelium devotio*“: „der Opferwilligkeit der Gläubigen“ die Rede gewesen —: „*ubi autem aut paupertas aut inde votorum duritia maior fuerit, quam esse debeat*“, nach meiner Auffassung: „wo aber entweder die Armut oder — infolge davon — die hartherzige Abneigung gegen Opfer etwa ungebührlich gross ist“; Herr Professor Wattenbach liest dafür — ohne wesentliche Sinnesänderung einfacher — „*aut paupertas aut inde votorum duritia*“: „entweder die Armut oder die ablehnende Hartherzigkeit nicht opferwilliger Menschen“.

S. 124, Z. 15 wird auseinandergesetzt, dass die archidiaconi etc. darauf sehen sollen: „*ut comministros, cum quibus honeste officium divinum agere possint, habeant, matricularios vetulos vel vetulas ... pro decimę quantitate habeant, non autem nonnanes iuvenes ... de matricula pascant*“: „dass sie Gehilfen, mit welchen sie in anständiger Weise den Gottesdienst begehen können, haben, nur alte Männer und Frauen u. s. w. als Almosenempfänger nach Maßgabe ihrer Einkünfte halten, nicht aber junge (...?) von den Armengeldern mästen sollen“. Weil ich nun mit dem Worte „nonnanes“ nichts anzufangen wusste und zugleich zu dem „honeste“ einen starken Gegensatz nötig zu haben glaubte, habe ich, zumal die archidiaconi etc. S. 123 ermahnt werden, auch „casti“ zu sein, „nonnanes“ in das ihm den Schriftzeichen nach sehr ähnliche „nonarios“ umgewandelt, sodass also vor der Vergeudung der Armengelder an junge „nonariae“ männlichen Geschlechts gewarnt wird. Herr Professor Wattenbach hat mich nun darauf aufmerksam gemacht, dass nonnani eine seltene Nebenform des Wortes „nonnus“: „Mönch“ ist, und die Beibehaltung mit den Worten begründet: „Was hier unter nonnanes eigentlich zu verstehen ist, bleibt zweifelhaft; aber ganz unmöglich scheint mir, dass dieses seltene Wort durch Korruption hineingebracht wäre.“
